Friedlaender - De Operibus Anaglyphis - 1867

TRANSFERRED TO
FINE ARTS LIBRARY

[illegible]

DE

OPERIBUS ANAGLYPHIS

IN

MONUMENTIS SEPULCRALIBUS GRAECIS.

SCRIPSIT

LUDOVICUS FRIEDLAENDER.

REGIOMONTI PRUSSORUM.
PROSTAT APUD PFITZER & HEILMANN.
MDCCCLXVII.

IMPRESSIT ERN. JUL. DALKOWSKI.

Index.

Corrigenda.

P. 9. v. 4. Pro reponetur l. poneretur.

„ 11. v. 11. Lege sic: Quam interrogationem nemo sane potest dissolvere. Talibus observationibus suspicionem saltem motum iri exspectaveris etc.

„ 13. v. 12. Forma litterae *Δ*, quae est apud Frantzium, a typographo parum accurate reddita est.

„ 22. v. 9. a fine pro appareant l. apparent.

„ 25. v. 3. a fine post quo excidit habitu.

„ 27. v. 19. *ὀρείτυποι* l. *ὀρειτύποι*.

„ 32. v. 14. significare l. significari.

„ 46. v. 16. Lege sic: nam quid naturae rei accommodatius erat, quid harum imaginum rationi convenientius, quam etc.

§. 1.

Injuria invaluisse sententiam: in anaglyphis sepulcralibus Graecis sedentes effictos esse mortuos.

Figuras sedentes cum in ceteris anaglyphis sepulcralibus Graecis, tum in iis in quibus valedicentes effícti sunt, mortuorum esse imagines, figuras stantes autem superstitum: ejus opinionis, quae tot virorum doctorum consensu celebrata est ac toties sine ulla dubitatione pronunciata [1]), quis primus fuerit auctor, non facile dixeris [2]). Odofredum Muellerum putes id persuasissimum habuisse; dicit enim ille (Handb. der Archäol. 431, 21): Ueber die Vorstellungen, meist Abschiede, und den schönen Styl Griechischer Grabstelen, E. Wolff und Gerhard Ann. d. Inst. 1, p. 134. ff. — Dabei ist richtig bemerkt worden, dass nicht die stehende, sondern die *sitzende* Person der Todte sei (Rinck, Kunstblatt 1828, n. 42, 7.). Idem Muellerus his verbis pilam sepulcralem Atticam describit. (Denkmäler der alten Kunst, Taf. XXIX, n. 125.) Ein Grabpfeiler, auf welchem in Basrelief eine Abschiedsszene dargestellt ist; der Mann stellt den Gestorbenen dar; die Frau ist seine zurückgelassene Gattin. Inspicies tabulam, quae illius monumenti effigiem continet, et obstupefies, cum

[1]) Vide imprimis Gerhard in Annal. d. Inst. 9, p. 120.

[2]) Legitur quidem apud Paciaud. (Mon. Pelop. II, 243): *Invaluit porro haec differentia apud Graecos, fuitque frequentissimus mos, ut in sepulcralibus anaglyphis, qui lucis usuram amiserat, sedens effingeretur, caeteri vero propinquitate vel amicitia conjuncti superstites, qui monumentum poni curaverant, stantes plerumque exsculperentur.* — Quod tamen recentiores videtur fugisse, cum Paciaudii in hac re ne mentionem quidem faciant.

virum (quam mortui imaginem esse dixit Muellerus) stantem videris, uxorem superstitem autem sedentem. Eodem modo in descriptione vasis sepulcralis (n. 126) nominibus *Χαιρέας*, *Εὐκολίνη*, *'Ονήσιμος* inscripti figura sedens superstitem dicitur significare uxorem, vir stans ei valedicens maritum mortuum. Quae urna (nunc asservata in Glyptotheca Monacensi), ab Schornio in catalogo glyptothecae (n. 80, p. 76.) iterum descripta est; qui sedentem figuram mortuae putat esse imaginem ex priore Muelleri sententia contra id quod postea ei placuit. Cujus sententiae cum et Schornius et Muellerus eundem afferant auctorem, nos quoque hunc jam adeamus. Est is Rinckius, qui loco supra citato scripsit: Ueber alte Denkmäler in Venedig und seiner Umgegend. Qua in dissertatione describitur anaglyphum sepulcrale, in quo feminae sedenti vir stans manum porrigit; cum hac inscriptione: *Διοδώρα χρηστὴ χαῖρε. καὶ σύγε.* His valedicentium figuris postquam discessum e vita significari monuit, addit haec: Wenn endlich Visconti (Mus. Pio Cl. T. V. p. 36) zwar richtig den Abschied zweier Ehegatten oder zwischen Vater und Tochter in jener Handlung ausgedrückt sieht, aber die stehende für die Abgeschiedene hält, so belehrt uns die Grimanische Antike (id monumentum, de quo nunc sermo est) abermals eines Bessern, wo eine sitzende Frau, als welcher zunächst das *χαῖρε* zugerufen wird, für die Verstorbene anzusehen ist. Rectissime; num vero quod semel mortua sedens effícta est, continuo sequitur, in anaglyphis sepulcralibus semper sedentem figuram mortui esse imaginem, non stantem? Ac si ipse Rinckius mortuorum imagines ab superstitum imaginibus ita discerni putavit, ut hi stantes effícti sint, illi sedentes: hoc in iis operibus solis fieri posse fortasse putavit, quae valedicentium exhibent figuras; nam in tribus aliis monumentis sepulcralibus explicandis hujus rei nullam rationem habet. In Kunstbl. 1828, n. 44, 3 ubi coenam describit (in monumento effictam) patris cum duobus filiis, qui omnes mortui sunt, nominaque adscripta habent, feminam, quae in parte sinistra a viris remota sedet, nullo nomine adscripto: eam hoc monumentum condidisse putat ideoque illis superstitem fuisse; et recte ille quidem sine dubio. Neque in quarto eorum quae describit monumento, figuram sedentem mortuae solam esse imaginem, ipse vidit. In quinto inscriptionem *Ἐρώτιον Ἀπολλωνίου Ἀμισηνή*, quae pertinet ad feminam sedentem pueroque turbi-

nem porrigentem, ita interpretatus est, quasi *Ἐρώτιον* nomen sit pueri, filii Apollonii, *Ἀμισηνή* autem matris superstitis. Igitur vel ubi minime debuit, sedentem figuram significare superstitem putavit; atque qui haec legat, miretur sane, Muellerum eum attulisse auctorem sententiae, quae si certis finibus non circumscribatur, prorsus contraria est ejus explicandi rationi.

Sed etiam Boeckhius idem sibi persuasit atque ita nude posuit (C. I. T. I. n. 567): ***Sedens figura solet defuncti imago esse, ut*** **554, 568, 928, 954** ***et ubivis.*** Monumentum de quo sermo est nomina continet:

ΔΗΜΟΣΤΡΑΤΗ ΧΟΡΟΚΛΕΟΥΣ ΧΟΡΟΚΛΕΟΥΣ
ΑΙΞΩΝΕΩΣ ΓΥΝΗ ΛΥΣΙΠΠΗ,

incisa ea quidem ***super anaglypho, in cujus sinistra mulier in sella sedens, cui manum jungit alia ante illam consistens in parte tabulae quae adspectanti dextra est. — Nomina ut ea dedi posita sunt, ut non apertum sit, ad utram figuram singula referenda sint.*** Adeo igitur pro certo affirmari posse id putavit, sedentes expressos esse mortuos, ut hic, ubi ad utram figuram utrum pertineat nomen, incertum sit, eo argumento ad rem definiendam utatur. Cujus tamen observationis, quam tum quum in Atticis marmoribus describendis versaretur, tueri posse sibi videbatur, postea adeo oblitus est, ut plus semel prorsus contraria interpretandi ratione uti non dubitet; qualia in tanto opere si accidant, nemo non ignoscenda putabit. Ac vel si exempla ab ipso prolata accuratius percenseamus, ne ea quidem omnia ad rem probandam apta esse, apparebit. Quod lapidem sub n. **568** descriptum proposuit, cujus inscriptionem ipse difficilem explicatu esse dicit, errasse videtur; quum ille ad impugnandam potius quam ad defendendam ejus sententiam facere videatur. Senex ibi est sedens manum jungens mulieri stanti, ad mulierem autem pertinet primus inscriptionis versus *Φανοστράτη Ἐξηκεστίδου ἐξ Αἰξωνέων πρ[εσβυτέρα]*. Contra n. **554** nullam dubitationem habet; neque n. **954**. In marmore denique sub n. **928** descripto expressus est ***senex barbatus sellae insidens, adstante muliere, quae illi manum porrigit;*** quibus figuris adscripta sunt haec verba *Γέτας χρηστό[ς]. Μανία.* Epitaphium Getae dicit Boeckhius, quia is solus *χρηστός* audiat;

1*

equidem potius ex duobus nominibus apparere putaverim, his duobus (conservis ut nomina videntur indicare) commune fuisse monumentum. Nam nomen *Μανία* nude positum in hoc monumento vix aliud quid videtur indicare posse, quam eam ibi conditam fuisse; neque mortuae nomini vox *χρηστή* necessario adscripta esse debuit.

Quin etiam observationem de qua sermo est, ita si consideremus, ut monumentorum exemplis utrum refellatur an defendatur nondum spectemus, sed id solum quaeramus, num ipsa per se probabilis esse videatur: rem magnis obstructam esse difficultatibus apparebit. In monumentis enim sepulcralibus simul cum mortuis effícti sunt superstites. Sunt in quibus omnes figurae stantes appareant; sunt, in quibus et stantes et sedentes; sunt denique, in quibus so lae sedentes. Primae ac tertiae rationis singula saltem exempla proponam. ***Ad scalas bibliothecae St. Trinitatis Cantabrigiae marmor expositum est, in quo super anaglypho sepulcrali vas Atticum exhibente, in quo vir et juvenis manus jungentes,*** haec scripta sunt (C. I. 805.):

Εὐθύκριτος [Οἰν]αῖος?
Ἐνθάδε τὸν πάσης ἀρετῆς ἐπὶ τέρμα μολόντα
Ε]ὐθύκριτον πατρία χθὼν ἐκάλυψε τάφῳ,
μητρὶ φίλον καὶ πατρὶ κασι[γ]νήτοις τε ποθεινόν
πᾶσ[ι]θ' ἑταίροισιν σύντροφον ἡλικίας.

Mortuus igitur juvenis cum superstite, ut videtur, patre effictus est; stans uterque. Contra in monumento Chio (B. C. I. 2239) ***sunt figurae matris et filii sedentes, in medio ara rotunda cum flamma, ut videtur, et ove victima.*** Ex epigrammate autem apparet, hoc monumentum matri mortuae posuisse filium superstitem:

εἰ δ' ἐθέλεις γνῶναι στήλης τύπον ὦ παροδεῖτα,
Θάλλουσαν μ' ἐσορᾷς· μητρὶ δὲ τήνδε χάριν
μνήμης Θάλλος ἔθηκ' ἀρετῆς εἰδὼς ἱερὸν δή — —

Quodsi quid faciat ad discernendum a superstitibus mortuum, utrum figuram sedentem videamus an stantem: hac discernendi ratione non semper usos esse horum operum artifices, statuendum erit; et observatio illa in hanc formulam redigenda: ***Ubi*** in anaglyphis sepulcralibus figura sedentis conspicitur, ibi ea pro mortui imagine

habenda est. Quis autem erit, qui hoc dicere velit? Nam id solum, quod in aliqua re vel semper vel plerumque fit, usu fieri recte dicimus: usuque solo haec observatio sustineri posset. Eam enim causam quae ex ipsa hujus rei natura sequatur non facile invenias, nequedum quantum ego scio inventa est. Nisi forte cui id probatur, quod dicit Paciaudius (l. l.), ***mortuos in his feralibus toreumatis occasum jamjam accepturos fingi; eo proinde corporis habitu exprimi debuisse, quo gravissima aegritudine utcumque debilitati apparerent.*** Sin autem quis dicat, eos quibus haec monumenta dicata fuerint, certo quodam corporis habitu discernere voluisse a ceteris artifices, id contra tot exemplorum repugnantium consensum defendi non posse, statim apparebit.

Causis igitur ex ipsa ratione petitis hanc rem defendi non posse dixi: exemplis refutari nunc monstrabo; habeoque assentientem Boeckhium, qui complura monumenta ita explicavit, ut sententiae a se supra prolatae ipse contradicat. In anaglypho Smyrnaeo (C. I. n. 3371) caelatus est ***vir in sella sedens pectore nudo, pedibus scabello innixis, ante quem adstat mulier large vestita; inter hos puer amictus, pone virum puerulus nudus habitu lugubri.*** Inscriptio haec est: *Πόλλιος Δείδιος Πολύβιος κατεσκεύασεν τὸ μνημεῖον ἑαυτῷ καὶ Δειδίᾳ Λαυδίκῃ τῇ γυναικὶ καὶ Ἀντωνίῳ Πολυβιανῷ τῷ τέκνῳ καὶ τοῖς ἐκγόνοις σὺν τῇ κειμένῃ σορῷ ἔσω μυλίνῃ, ἐν ᾗ ἔνεστί μου ἡ γυνή* etc.

Tribus figuris primariis tres illius familiae homines repraesentatos esse dicit Boeckhius, ad quos hoc sepulcrum pertineat. Dubitare igitur non possumus, quin virum mulieris superstitem figura sedens significet, mulierem mortuam autem stans.

At fortasse observatio illa minus late patet, in iisque tantum anaglyphis locum habet, in quibus valedicentes expressi sunt. At, quod dixi, nullum causam esse, cur hic usus discernendi mortuos a superstitibus non in universum obtinuerit, id eo magis in hanc observationem caderet, quo angustioribus circumscriberetur finibus. Deinde et hoc perfugium praecludunt exempla. Anaglyphum cippi Smyrna allati [3]) (C. I. 3333) hoc est. ***In medio sedet mulier in sella pedibus scabello innixis facie revelata; pone hanc juvenis***

[3]) Aeri incisum est in Marm. Ox. n. 40. ed. Maitt. (Prideaux. 7.).

imberbis pectore et dextro brachio nudis, manibus in ventre compressis et conjunctis; mulieri ad dextram adspectanti adstat juvenis tunica et pallio amictus dextramque mulieris tenet, ut valedicens; in utroque angulo stat puerulus, et ille quidem qui pone valedicentem est, lugentis refert habitum. — Subest carmen versibus elegiacis scriptum, quo docemur matrem Metridem filiis Hicesio et Hermippo morte immatura esse privatam. Habemus igitur figuram sedentem cui valedicit figura stans; haec mortuum significat, illa superstitem. Qua de re dubitari non potest, neque dubitavit Boeckhius, qui postquam monuit puerulos in angulis stantes referre familiam lugentem, in fine haec addit: *Neve credas eum qui mulieri manum jungit esse ejus maritum; mulier vetula est, quod diserte in fine dicitur, igitur ejus maritus non fuerit imberbis fictus. Omnino vero figura est valedicentis; valedicentis autem habitu repraesentari defunctus in his anaglyphis solet. Superstes est sola mater, quae filiis posuit hoc monumentum.* — Atque ex sedentis habitu conjecturam fieri non posse de morte ejus qui hac ratione expressus sit, id multo manifestius apparebit, si complura monumenta inter se comparaverimus, quae idem omnia, argumenti genus exhibent. In iis, quae in insula Rhenea eruta sunt marmoribus sepulcralibus, tria binos viros stantes monstrant, feminas sedentes singulas. Et in primo quidem (B. C. I. T. II. Add. 2322. b[50]) sedentis figuram mortuae esse imaginem patet ex inscriptione: *Τερτία Αἰφιδία Ἀρίστιον, χρηστὴ χαῖρε.* In altero (Add. 2322 b[25]) anaglypho trium illorum nomina subscripta sunt, singulisque addita formula *χρηστὸς (χρηστὴ) χαῖρε*; ex quo patet, haec omnia mortuorum esse simulacra. Quibus igitur placet illa a me impugnata sententia, ii sumere possunt: priorem obiisse mulierem; post ejus mortem positum esse monumentum; deinde in idem sepulcrum illatos viros duos simulatque decesserint; nominaque eorum addita. Tertii vero monumenti (Add. 2322 b[46]) ratio aperte huic opinioni repugnat; nam ei inscripta sunt haec:

Αὖλε Ἐγνάτιε Ἀλέξανδρε, χρηστὲ χαῖρε
Αὖλε Ἐγνάτιε, χρηστὲ χαῖρε.

Puto ejusdem familiae patrem et filium cognomines fuisse; nam de eodem nomine repetito non cogitaverim. Certe quidquid statueris,

sedentis imagine quin significata sit mulier superstes, non est dubitandum.

Item *in plintho alius anaglyphi Rheneae reperti* (Add. 2322 b^{68}), *quo repraesentatur vir sedens et cubito innixus atque alius feminae valedicens*, duorum virorum nomina inscripta fuerunt: unde patet utrumque virum mortuum fuisse ante feminam, quorum alter stans alter sedens effictus est.

Sex alia in eadem insula reperta sunt marmora, quorum figurae primariae sunt vir stans et femina sedens. In tribus eorum solae mulieres ut defunctae notantur inscriptis nominibus [4]); duo et viri et mulieris nomen continent [5]); sexto quod solum viri nomen exhibet, non multum tribuo, quia id mutilatum. At in monumento mulieris (Add. 2322. b^{74}.), (ut patet ex inscriptione *Καλλιστράτη χρηστὴ χαῖρε*) vir sedens juxta mulierem stantem cernitur. Rheneae tribuitur etiam id monumentum, cujus simulacrum aeri incisum est in opere expeditionis Moreoticae (Vol. III. Tab. 19, 1.). A parte sinistra mulier sedet, a dextra vir, in medio stat juvenis. Duabus figuris sedentibus subscripta sunt haec nomina (C. J Add. n. n. 2328 b.):

Ἀμμία Ἀνδρομαχίδου Ἀρεθουσία, χρηστὴ καὶ ἄλυπε χαῖρε.
Βόηθε Σάμου Ἀρεθούσιε χρηστὲ καὶ ἄλυπε χαῖρε.

Vides filium superstitem una cum parentibus mortuis esse effictum [7]). Patrem et filium, illum sedentem hunc stantem monstrat Rheneae insulae monumentum (C. J. Add. 2322. b^{26}.), ut patet ex inscriptione: *Μηνοφῶν Φιλίκου καὶ Φίλικε Μηνοφῶντος*

[4]) Add. 2322. b^{19}) b^{60}) b^{69}).

[5]) Add. 2322. b^{14}) b^{17}).

[6]) Add. 2322. b^{99}).

[7]) Cum hoc conferre libet lapidem prope Panticapaeum repertum quem parentes superstites filio adoptivo posuerunt. Insunt ex more ejus regionis duo anaglypha. *Inferius anaglyphum ostendit feminam sellae insidentem; adstante a fronte viro; pone sellam puerulus pyxidem manu tenens; supra est eques adstante puerulo qui ei vasculum affert. Infra est inscriptio: Σέυηρος Σωκράτου Τιανὸς σὺν γυναικὸς Μελιτίνης* (sic) *τῷ ἰδίῳ τροφίμῳ Μέμνονι υἱῷ Ἀμεινία μνήμης χάριν ἐν τῷ σχυ Ξανδικῷ* (C. I. 2114. c.). In superiore anaglypho filii puto esse imaginem, in inferiore parentum; qui fortasse ut eodem sepulcro aliquando conderentur, constituerant.

Μάγνητες ἀπὸ Σιπύλου χρηστοὶ χαίρετε. Marmor autem sepulcrale quod Boeckhius Rheneae tribuit (Add. 2322. b[95].), Aegineticum dicitur esse in opere exped. Moreot. (Vol. III. pl. 42, 2.). Ostendit universae familiae coetum; in parte antica mulieri sedenti manum jungit mulier stans. Zophoro qui fastigium sustinet haec inscripta sunt nomina: *Φαινίππη Σμικυθίων Κλεώ;* e quibus apparet simulatque unus eorum, ad quos hoc sepulcrum pertinuit, quorumque imagines cerni puto in marmore, mortuus fuerit ibique conditus, ejus nomen ceteris additum fuisse [8]). Monumenti Chii quod matri Thallusae erexit filius Thallus, ubi ambo sedentes efficti sunt (C. I. n. 2239), supra mentionem injeci.

Postremo nonnulla exempla proferam ex illo operum genere, ubi conspicitur vir lecto incumbens, assidente muliere, sive apposita mensa cum dapibus coena significatur, sive non. In iis omnibus, ut staret illa opinio, sumendum foret mulierem priorem esse mortuam. At in eo quod in C. I. (Add. 2322. b[35]) describitur marmore inscriptio *Ἀλέξανδρε Ἑρμίππου Σιδῆτα χρηστὲ χαῖρε,* virum solum mortuum esse docet. Neque aliter res se habet in Add. 2322. b[41]) et b[84]) quae sola virorum nomina continent. At in Add. 2322. b[76]) argumentum idem, inscriptum autem nomen mulieris: *Κύδιλλα Μνασικύδου χρηστὴ χαῖρε.* Hic igitur mulierem defunctam habemus eamque solam defunctam, ut Boeckhius recte animadvertit contra Le Bas, qui ex titulo intelligi vult, ***patrem Mnasicydae defunctum esse et ad hunc et filiam referri titulum,*** quod fieri non potest. Tunc Boeckhius pergit: ***Titulus quidem ad solam Cydillam pertinet, quae sedens repraesentatur; qui ad mensam accumbit***

8) Simile anaglyphum, quod olim universae familiae imaginem ostendit, describit Ross (Demen von Attica 140): Stele aus Pentelischem Marmor; — über der Inschrift war ein Basrelief von vielen kleinen Figuren, welches aber abgebrochen ist, so dass nur noch die Füsse einiger Figuren zu sehen sind. Titulus hic est:

Σῆμα τοδ' Οἰναίου Διονυσίου τῶντ' ἔτι πρόσθεν,
Πείθωνος πατρὸς οὗ καὶ Φειδίππου τόδε θεῖου
Τούτου, τῶντ' ἄλλων ὧν τύπος εἰκόν' ἔχει.

Horum nomina aut in parte defracta hujus pilae aut in alia pila script fuisse necesse est.

fortasse non defunctus est, sed superstes maritus qui coenam funebrem celebrat. Superstesne igitur maritus cum uxore mortua, coenam funebrem in honorem mortuae? At de ea re infra dicam. Sed virum eo tempore quo monumentum reponetur, vivum esse potuisse docet v. c. marmor in Add. .3722. b. descriptum; ubi *sub anaglypho, quo repraesentatur vir in lecto recubans assidente ad sinistram femina*, haec leguntur: *Ἐπαφρόδειτος Εἴᾳ* (?) *τῇ γυναικὶ συνζησάσῃ αὐτῷ ἔτη κε μνήμης χάριν.* Ei autem quo Boeckhius utitur (Add. 2322. b[a].), ut probet Cydillae posuisse monumentum maritum superstitem, non multum tribuerim. Nam inscriptio sub anaglypho coenam repraesentante haec est:

ΣΙΝΔΗ
ΧΡΗΣΓΕ ΧΑΙΡΕ,

quam ad virum pertinere puto; non enim admodum verisimilis videtur emendatio Boeckhii *χρηστή*, si litterarum formas accurate inspicias. *Σίνδης* nomen proprium viri esse potuit, a quo vocativus *Σίνδη*. Cum his denique Smyrnaea quaedam marmora conferenda sunt, quae eandem ostendunt imaginem. C. I. 3383. Ibid. 3389. Titulus est: *Σεκοῦνδα Φαύστῳ ἰδίῳ ἀνδρὶ καὶ Φιλαινίδι τέκνῳ ἰδίῳ μνήμης χάριν.* Dubitare possis utrum filiam mortuam an matrem superstitem significet figura sedens: *hoc* autem ex ceterorum monumentorum consensu verisimilius videtur. Quodsi imaginem filiae desideres, ejus discrepantiae inter figuras caelatas et inscriptionem ea causa fuit fortasse, quam Paciaudius putavit esse in anaglypho a se descripto. (Mon. Pelop. 2, 246). Ubi cum mulier in cellula efficta sit sedens, viro stanti manum jungens, inscriptio autem dicat Heracleonem et Epaphram hoc monumentum Eugeniae matri dicasse; ejus rei causam horum paupertatem fuisse conjicit: *Prostitisse enim in lapicidarum officinis praeparata jam a marmorariis vulgaria quaedam toreumata, senum feminarum aut puerorum prout opus esset tumulis aptanda. Haec saxa vili pretio vendita, quale suae rei quisque accommodatum putaret; deinde inscriptionem esse incisam, quae sculptis jam imaginibus non semper conveniret* [*]). Ad hanc rem probandam multum facit, pri-

*) Eandem sententiam proposuit Winckelmannus (Versuch einer Allegorie Cap. 1, 28.)

mum quod eadem fingendi ratio in tot monumentis redit, deinde quod artificio mediocri magna pars eorum elaborata est.

Ex his igitur satis apparere puto, habitum sedentis in hoc operum genere nullius momenti esse ad distinguendum mortuum a superstitibus. Quodsi cui in congerendis ad hanc sententiam refellendam exemplis nimius fuisse videar: is me id fecisse putet ob tot tantorum virorum auctoritatem, qui illud verum esse sibi persuaserunt [10]).

Ad eam rem igitur, ad quam viri docti hanc fingendi rationem pertinere putarunt, nequaquam eam pertinere demonstratum est; altera quaestio est, num omnino sedentis habitus pro fortuito habendus sit. Equidem duas ejus rei causas afferri posse opinor, quarum altera posita est in varietatis studio, quam artis opera requirunt; altera in vitae communis consuetudine, quam sequi debebant artifices. Ubi in marmore tres pluresve figurae caelatae sunt (nulla tamen ratione habita servulorum puerorum omniumque minoris speciei figurarum), earum una sedens solet efficta esse; quippe, in tot enim stantium aspectu desideraretur grata varietas. Quod autem in coenarum simulacris mensae accumbunt viri, assident feminae, ut fere semper: id ideo factum est, quod vitaè communis usum referre debebant haec artis opera: qua ex re sola patet nequaquam pertinere sedentis habitum ad mortis significationem. Sed praeter hoc genus imaginum vix aliud inveneris, in quo idem status constanter servatus sit; sunt tamen fingendi rationes, quae frequentius aliis redeant. Dominae cum ancillis, matres cum liberis sedentes plerumque ut res fert, effictae sunt; sed etiam viri senesque coetu suorum circumdati. At id nondum vidi, adolescentem inter suos expressum esse sedentem inter stantes: quia id contra morem consuetudinemque factum foret. Gerhardus, qui in Museis Aeginetico et Atheniensi ad centum fere pilas sepulcrales asservari dicit, feminas sedentes in plerisque caelatas esse addit; ac sane mulierum vitae umbratili et tranquillae maxime convenire hic status videtur. Annal. d. Inst. 9. 120. ***Ce qu'on voit surtout fréquemment sur le champ principal de ces stèles, c'est une femme assise, sans doute la défunte qu'on a voulu distinguer comme telle par sa position; elle est entourée d'autres***

[10]) Nam etiam Godofredus Hermannus huic sententiae adstipulatus est in dissertatione de epigrammatis quibusdam Graecis, opusc. V, p. 177.

personnages, qui sont ordinairement debout, et qu'on reconnait facilement pour les individus de sa parenté. Il y a son père ou son époux, il y a leur enfant, il y a très souvent une autre femme, soit soeur ou fille ou mère, qui présente à la femme assise une cassette remplie de cadeaux funèbres. Je dis une femme assise et en vérité il paraît, que ces monuments étaient beaucoup plus souvent érigés à la memoire des femmes qu'à celle des hommes, de sorte qu'il faut demander, par quelle raison particulière les habitans de l'Attique érigeaient des monumens de la forme de stèle principalement à l'autre sexe? Quam interrogationem dissolvere potest nemo sane. Talibus observationibus suspicionem exspectaveris saltem motum iri, num sedens semper effictus sit is cui monumentum dicatum fuerit; sed ne labefacta quidem est opinio, quam ipsos qui primi eam enuntiarunt suis interpretationibus redarguisse vidimus. Neque Claracium latuit, feminas plerumque sedentes effictas esse; maxime in coenis quas funebres dicunt; qui tamen ex ea re prorsus contrariam conjecturam fecit de hujus habitus significatione. Sin autem duo ex una re ita concludunt, ut uterque sibi quidem constet alteri autem contradicat, ex hac re neque hanc neque illam conclusionem fieri posse per se patet. Musée de Sculpture, Tom. II., 1, p. 726. n. 287. *Il paraitrait,* inquit, *que ces bas-reliefs commemoratifs étaient voués par la femme, qui y est fréquemment assise, et qui rendait ce dernier et triste hommage aux parens aux quels elle avait survécu.* Attamen si putaveris, quia in hoc et in quibusdam aliis monumentis res ita se habeat, ideo in universum obtinere hanc observationem, vehementer erraveris. Claracius autem id adeó sibi persuasit, ut non dubitet inscriptionem marmoris Attici Ὠδὴ Ἀπολήξιδος, in quo *femina sedens manum porrigit viro barbato* [11]), ita interpretari quasi hoc monumentum ab Ode dicatum sit, quod fieri omnino non potest [12]).

[11]) v. pl. p. 181, n. 208. cf. D. I. n. 1022.

[12]) Sibi ipse adversatur (Mus. d. Sculpt. T. II.. 2. p. 836, 37. n. 410. A.), ubi mulierem viro in lecto cubanti assidentem uxorem illius mortuam esse dicit.

Mentionem supra injeci urnae Atticae sepulcralis nominibus *Εὐκολίνη Χαιρέας Ὀνήσιμος* inscriptae. Nihil esse vidimus quod cogat, ut feminam sedentem eorum qui ibi effícti sunt solam fuisse mortuam putemus eo tempore quo haec urna exsculperetur: quid quod ad veri similitudinem adduci posse puto, hanc non ante duos illos viros e vita decessisse? Dicitur enim a Boeckhio (C. J. 1021) Athenis apud matronam Gallicam Masson columna exstare iisdem inscripta nominibus ita ut aliud sub alio positum sit hoc ordine: (ed. Ponquev. Itin. T. IV. p. 103. n. 11).

ΧΑΙΡΙΑΣ (sic) [13])
ΕΥΚΟΛΙΝΗ
ΟΝΗΣΙΜΟΣ.

Quae columna quin communi sepulcro horum trium imposita fuerit non dubitandum est: super hac urnam stetisse conjicio. Sin autem in titulo sepulcrali plura nomina ita scripta sunt, ut aliud positum sit sub alio, id quod primo versu scriptum est, nomen esse ejus qui primus obiit, ipsa res fert [14]). Is est *Χαιρέας*, ceterum maximus natu trium cognatorum, quorum simulacra in vase caelata sunt. At Chaereas fortasse vivus hoc sepulcrum exstruxit nomenque inscripsit; huic igitur additum fuit vox *ζῇ*, quae post ejus mortem deleri debuit; quod si ita est, Eucolinen primam mortuam esse recte statuemus. At illam consuetudinem, ut sepulcra a vivis compararentur, prioribus certe temporibus, quorum vestigia apparent in hoc artis opere, si quidem Atticae incolis nota fuit, rariorem fuisse necesse est. Inter titulos enim fere septingentos sepulcrales Atticos a Boeck-

[13]) Id in *Χαιρέας* mutandum videtur.

[14]) In monumento C. J. n. 606. descripto sub anaglypho sunt inscriptiones tres; e quibus ***prima prius ceteris exarata est, utpote cujus prior versus ad anaglyphum pertineat.*** Anaglyphum medicum repraesentat aegroto medicam opem fe:entem — Eos qui hoc sepulcro conditi sunt, ordine natura constituto obiisse ordo versuum docet, qui hic est:

a. *Ἰάσων ὁ καὶ Δέκμος Ἀχαρνεὺς ἰατρός.*
Διονύσιος Ἰάσονος Ἀχαρ (νέως), γόνῳ δὲ Θεοδώρου Ἀθμονέως.

b. *Θεόμνηστος Διονυσίου Ἀχαρνέως καὶ Εἰρήνης τῆς Ἰάσονος Ἀχαρνεύς.*

c. *Φιλοστράτη Ἀφροδεισίου τοῦ Ῥαμνουσίου καὶ Ἀριστίου τῆς Καρποδώτου Μελιτέως.*

hio et Rossio editos non sunt nisi quatuor qui ejus consuetudinis testimonia afferant, eorumque tres manifesto ex posterioribus temporibus; complures autem rationem contrariam observatam fuisse probant. Illos priores enumerabo; quorum unus ex formula trita Romana translatus est. C. J. 632. *Τόπος Αὐρ. Στράτωνος Εὐπυρίδου παραδόξου. Αὐρ. Στράτων κεῖται ἐτῶν δύο.* Alterum quoque iis temporibus tribuendum esse quibus Romanis Graecia parebat, docet nomen Romanum (n. 630.) *Πρεῖμος Νεικίου Εὐπυρίδης ζῇ.* Idem dicendum de n. 1023. *Μ. Ὤλιος Ὀκταβιανὸς κατεσκεύασε τὸ μνημεῖον ζῶν ἑαυτῷ καὶ ....* Quartus denique nullum certi temporis indicium prae se fert nisi vocales η et ω, quae post Euclidem in usum venerunt; sed etiam litterarum Α Ζ Α usum frequentem ea demum aetate fuisse, qua Graecia in formulam provinciae redacta esset, dicit Franzius in Elem. Epigr. Gr. p. 231. *Ζωΐλος Ξένωνος Φλυεύς. Ζήνων Ζωΐλου Ἁλαιεὺς ζῇ.* Inter tot igitur titulcs hi soli post mortem eorum ad quos pertinent positi esse non possunt; sin autem in more illud fuisset, ut vivi sibi erigerent monumenta, exspectandum erat, fore ut nomina eo ordine incisa conspiciantur in plerisque monumentis, quem res fert, et quem constanter observatum videmus in formulis verbosioribus urbium Asiaticarum: *ὁ δεῖνα κατεσκεύασε τὸ μνημεῖον ἑαυτῷ καὶ τῇ γυναικὶ καὶ τοῖς τέκνοις καὶ ἀπελευθέροις* etc. Nunc autem complures tituli prorsus diversa ratione conscripti sunt. C. J. n. 766.

Ἀριστονίκη Φιλίστου Μαραθωνίου θυγάτηρ
Μοσχίωνος Σουνιέως γυνή.
Θεοδοσία Μοσχίωνος Σουνιέως θυγάτηρ
Δωροθέου .... ἰδου γυνή.
Μοσχίων Νικοστράτου Σουνιεύς.
Νικόστρατος Μοσχίωνος Σουνιεύς.

Hujus nominum dispositionis haec una causa cogitari potest, quod non prius, quam quis horum sepultus fuerit nomen ejus lapidi incisum sit; nam si vivis omnibus positus esset titulus, primo loco nomen Moschionis velut domus principis scribendum fuit. Hunc igitur superstitem fuisse et uxori et filiae, non est dubitandum. C. J. 800. b. *In ara sepulcrali eleganter ornata* leguntur haec

ΦΙΛΟΣΤΡΑΤΗ ΦΙΛΩΝΟΣ
ΦΙΛΩΝ ΚΑΛΛΙΠΠΟ
ΑΙΞΩΝΕΥΣ
ΕΝΘΑΔΕ ΤΗΝ ΠΑΣΗΣΑΡΕΤΗΣΕΠΙ ΤΕΡΜΑ ΜΟΛΟΣΑΝ
ΦΑΝΑΓΟΡΑΝ ΚΑΤΕΧΕΙ ΦΕΡΣΕΦΟΝΗΣ ΘΑΛΑΜΟΣ
ΑΛΚΙΜΑΧΗ
ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ
ΑΝΑΓΥΡΑΣΙΟ.

Hic etiam formulae inter se discrepantes docent, cuique suum titulum esse incisum, simulac communi sepulcro conditus fuerit. Ceterum haec adnotavit Boeckhius: *Ultima circa Olymp.* **100.** ***scripta videntur variante scriptura O et OY, ex quibus OY v. 7. reperitur (cf. n.* 551.); *priores inscriptiones paulo vetustiores sunt, sed Euclide archonte non superiores.*** — Filium ante patrem et mortuum et sepultum ostendit hic titulus (C. J. 934 b.):

Δαμάτριος Ἀριστίωνος.
Ἀριστίων Ἀριστογείτονος.

Quodsi et in his et in aliis exemplis eo ordine, quem docent inscriptiones illos obiisse, non possumus non statuere; omnesque ceteri tituli Attici a Boeckhio et Rossio editi ita comparati sunt (exceptis illis quatuor) ut nihil prohibeat, quin eadem ratione eos conscriptos putemus: videor mihi ex mera nominum dispositione conjecturam fecisse veri non absimilem de ordine quo singuli obierint.

---

§. 2.

De ratione anaglyphorum sepulcralium Graecorum generatim.

Nullum unum argumentum in monumentis sepulcralibus obvium explicari recte poterit, nisi viderimus quales fingendi rationes in plerisque eo-

rum appareant; nam plurimis demum exemplis inter se comparatis illa quasi norma effici potest, ad quam dijudicanda sint omnia. Dico autem nihil aliud nisi argumenta in his monumentis expressa ad vivorum conditionem referenda esse non ad mortuorum; itaque quae ad vitam pertineant ibi esse quaerenda, non quae ad mortem. Id quidem jam a multis vv. dd. dictum est, imprimisque in ea re versatur ***Gerhardi*** dissertatio in ***Annali dell' Instituto di Correspondenza Archeologica vol. 9. p. 118. seq.***[15]; sed cum is monumenta adhuc in Graecia exstantia sola sibi proposuit de quibus dissereret, tum nonnulla dixit, a quibus non discedere non potui. Spero igitur me veniam impetraturum, si primaria argumentorum genera, quae quidem huc pertineant, breviter indicavero.

Liberos cum parentibus effingi solitos esse, per se intelligitur. Infans ab ancilla stante matri sedenti porrigitur in monumento Attico, quod nunc Pisae asservatur[16], in vase sepulcrali quod est in glyptotheca Monacensi (№ 80.) et saepissime. Sine dubio inter sepulcralia etiam referendum est id quod aeri incisum dedit Claracius (pl. 203, n. 279). Cernuntur in eo mulier et puella stantes, utraque infantem fasciis involutum tenens; haec minoris staturae quam illa; feminam majore figura effictam matrem esse illorum duorum infantium putandum est, alteram ancillam vel nutricem[17]. Talia argumenta non raro inveniri in hoc monumentorum genere, docet Gerhard (Ann. 9, 123): ***quelquefois la femme débout présente a la femme assise un enfant emmaillotté; un tel groupe se trouve sur une stèle déjà renommée par la particularité d'avoir une inscription punique a côté de la Grecque.*** (***Jahn Archiv f. Philol. Th. II. Heft*** 3. ***Dodw. II. p.*** 411.). Quod autem dicit: ***analogie d'après la quelle on n'hésitera pas à réconnaitre pour scènes de famille même ces compositions très semblables, aux quelles jusqu'ici on a cru pouvoir prêter un sens mystique***

[15]) ***Sur les monuments figurés existant actuellement en Grèce.*** — Ceterum ut semel dicam, ubi de monumentis sepulcralibus in universum sermo erit, ***Graeca*** tantummodo intelligi volo: ***Etrusca*** et ***Romana*** a commentatione exclusi.

[16]) Ann. del Inst. 6, 236—41, ubi legitur hujus monumenti descriptio auctore Rosellinio. Cf. tav. agg. F.

[17]) Aliter sentit Panofka (Ann. d. J. 1, 395. cf. tav. agg. G.) qui in hac magine videt partum Dianae et Apollinis.

(*V. Ann.* 2, 159. *Tav. G. Naissance d'Hélène*): in eo monumento duae res sunt quae aliquam suspicionem movent, num hic quoque vitae domesticae expressam videamus imaginem, platanum dico et cervam sub sedentis sella jacentem. Contra sepulcrale esse puto opus illud anaglyphum in villa Albanorum (Zoega Bass. di Roma Tav. 41. Supposta Leucotea), ubi artificio ut dicunt archaico elaborata est femina sedens, quae ex manibus alterius feminae stantis fasciis involutum infantem accipit, sellaeque praeterea adstant duae minores figurae. Winckelmannus ibi Leucotheam videre visus est, Zoega sepulcrale esse conjecit: exemplorum consensu firmatur ejus conjectura [16]).

Liberi aetatis jam maturioris nonnunquam soli efficti sunt, plerumque tamen inter suos. (V. e. g. Paciaudi mon. Pelop. I, 136 Stackelberg, Gräber der Hellenen, Taf. I. et cf. de hac re Gerhard. l. l. p. 123.) In anaglypho Smyrnaeo (Boeckh. C. I. T. II. n. 3328.) *repraesentantur mater et pater ex adverso assidentes et inter parentes puer manibus librum sustinens patrem versus directum quasi legens et a patre docendus.* Cum hac imagine minime consentire videtur epigramma, quod huic monumento inscriptum est:

ἤλυθες οὐκ ἄβουτος ἐνὶ τρισσαῖς δεκάδεσσιν
Θεύδοτε, τὰν ζωοῖς οἶμον ὀφειλομέναν.
καὶ σὲ τὸν ἐν σπουδαῖσι γεγαθότα πουλὺ μετ' ἀστῶν
μάτηρ αἰάζει μυρομένα πρύτανιν.
πέτρος ὅδε ξεινοῖσι βοάσεται, ὡς ἀΐδαλον
ἀσφαλὲς ἀνθρώποις οὐδὲν ἔνειμε τύχα.
εἴης τοι σὺμ πατρὶ κεχαρμένος, ὄφρ' ἂν ἐς αἰῶ
Σώστρατος ἐν φθιμένοις μυρίον αἶνον ἔχῃ.

16) Quod Zoega in descriptione hujus monumenti (T. I, 190.) praeclare de artis infantia animadvertit, id in magnam partem monumentorum a me tractandorum cadit: *Perciò nell' infanzia dell' arte non ancora sapendosi colle individuali caratteri distinguere le diverse deità, si dovea ricorrere agli attributi vestiarj e mosse che le caratterizassero; e dove figure incontriam' in bassirilievi di tale caratteristica prive, supporre dobbiamo, che nulla di ciò lor competeva, e se non azione o aggruppamento altro senso ci apre, crederemo che effigie sono di semplici mortali collocate n luoghi a loro memoria consecrati.*

Dicam, qua ratione imaginem illam explicari posse putem. Patrem Sostratum cum filius Theudotus obiret, jam mortuum fuisse, patet ex carmine; potuit id monumentum in quo universae familiae coetus repraesentatus est, statim post patris mortem positum esse; nomenque ejus incisum fuisse necesse est, quod nunc oblitteratum defractumve videtur esse. Hoc autem sepulcrum non ad patrem solum, sed ad universam familiam pertinuit. Ibi etiam conditus est, ut nostra testatur inscriptio, filius, mortuus is quidem triginta annos natus, postquam prytanis magistratu functus est; idem qui in monumento olim posito ut puer effictus erat.

Infantes quos prima aetate mors parentibus eripuit, non tales quales tum fuerunt nonnunquam effictos esse, sed quales aliquando fore speraverant parentes, animadvertit Montfaucon (Antiq. expliq. T. V, p. 70 pl. 39). In urna sepulcrali Romana mulier exsculpta est inter duas faces quam duo genii alati coronant, altera manu columbam tenens, altera cani uvam porrigens; super anaglypho autem leguntur haec: ***Dis Manibus Heteriae Superbiae quae vixit anno I mensibus VI diebus XXV. Fecerunt parentes infelicissimi filiae suae Q. Heterius Ephebus et Julia Zosime sibi et suis.*** Idem apud Graecos factum est. Monumentum (Montf. ant. expl. T. V. pl. 40)

παιδὸς ἄφνω μαζῶν ματρὸς ἀποπταμένου

ostendit adolescentem vel certe puerum adultiorem equo vehentem. Ibidem (pl. 42) conspicitur eques cum patera ante aram, pone quam arbor cum serpente. Titulus incisus est hic: ***Γλύκων Εὐημέρῳ τῷ τέκνῳ μνείας χάριν ζήσαντι ἐνιαυτὸν ἕνα μῆνας δέκα.***

In marmore Veronensi (Mus. Veron. Tab. 47) puer stans comparet inter parentes; in columna pone eum duae larvae; et recte fortasse Maffeius conjecit ***hunc inter artifices scenicos fuisse devotum***[19]). In Smyrnaeo lapide (Caylus Rec. d'ant. Vol. 2, 76, cf. Boeckh. C. I. 3293.) ***vir barbatus repraesentatus est duos pueros utrinque adstantes quasi consolans et utriusque humero manum imponens, ut eos complectatur.*** ***Θράσων Διογένους τήνδε ἀνέστησε στυλλεῖδαν υἱῶν β̄ Δεξιφάνους ἐτῶν ε̄ Θρά-***

[19]) C. I. 553.

σωνος ἐτῶν δ', Ἑρμῆ θρέψαντος αὐτῶν ἐτῶν κε'· ἐν τῇ συμπτώσει τοῦ σεισμοῦ οὕτως αὐτὰ περιειλήφεις. Paedagogorum imagines esse figuras virorum, quos pueris nonnunquam adstantes cernimus in monumentis sepulcralibus, fortasse saepius judicaremus, si aliquid praeter nomina praeberent inscriptiones. — In anaglypho a Rinckio descripto (Kunstbl. 1828, n. 44, 5.) mater mortua efficta est sedens, quae puero adstanti turbinem porrigit, in alio (C. I. n. 773) pomum. Saepissime inveniuntur pueri adolescentesque cum iis animalibus quae vivi in deliciis habuerant, canibus avibusque aut ludentes aut habitu tranquillo efficti. Frequentissimi sunt pueri canibus assultantibus aliquid porrigentes. (Clarac. pl. 170, 280. C. I. 2137. *puer canem vinculo tenens.*) Praecipue uvas canibus ludendi causa protendentes cernuntur pueri (v. e. g. C. I. 3271. 3297.) et puellae. (Ann. d. Inst. 9, 125.) Huc pertinere etiam monumentum in Claracii Mus. de Sculpt. (pl. 124, 115.) quod apud eum „*Bacchus cum panthera*" audit, et ex forma lapidis patet (est enim fastigium ei impositum), et ex inscriptione *Εὐαρέστης Ἀφροδισίου* (C. I. 945.). Animal enim non pantheram esse sed canem quisque videt; Bacchique imaginem, cui more epheborum de humero chlamys dependeat, non facile reperias. Neque ubi universae familiae coetus expressus est, canes desunt (ut in urna sepulcrali Exped. Mor. vol. III, 41, 1. cf. Mus. Veron. Tab. 47. Paciaud. Mon. Pelop. 1, 110. Ibid. 2, 273.). Ex eorum monumentorum copia, in quibus canes effecti sunt juxta mortuorum imagines, nonnulla afferam. Canis apud virum volumen tenentem C. I. 839. 984.[20]) 2622. (Vir in lectulo recubans et canis) 1781. (Eques assiliente cane) 2094. 3325. Canem in mon. Philistae cujusdam Smyrnaeae v. in marm. Oxon. (Prid. 88.) Cf. etiam Mus. Veron. 51, 8. Clarac. pl. 151, 286. Stackelberg, Gräber der Hellenen Taf. II.; Stuart, Suppl. to the Antiq. of Athens pl. 2. Huc pertinet etiam anaglyphum quod in Grotta ferrata est mulierem exhibens in sella sedentem, sub qua jacet canis, (v. Ann. d. Inst. 1, 138.) et pila sepulcralis Musei Borbonici in qua est vir baculo innixus instrumenta palaestrica tenens cum cane. Hunc Ulixem esse non bene statuit Radulph. Rochettus (Monum. Ined. p. 250.) cui obloquutus est Gerhardus (Ann. d. Inst. 9, 125.);

[20]) Hoc in Museo Berolinensi est v. Gerhard Ant. Bildwerke 387. (p. 132.)

nec meliore jure Rochettus in pila sep. Orchomenia Ulixem invenit, in qua apparet defunctus scipioni innixus cani porrigens locustam. (Cf. de utroque monumento Mueller Handbuch der Archäologie **96, 22.**) Luce clarius est, hac ratione vitae communis imagines vivas exprimere voluisse artifices [21]); errantque vehementer qui cane prope mortuum efficto indicatos esse honores heroicos putant, quia Homerus Telemachum aliosque heroas cum canibus in publicum prodeuntes faciat! (V. Stuart und Revett, Alterthümer von Athen, übersetzt von Carl Wagner, 3, 51.). — Ceterum venatores non sine canibus esse effictos ipsa res fert. Paus. VII, 22, 4. *πρὶν δὲ ἢ ἐς τὴν πόλιν (Τρίτυιαν) εἰςελθεῖν, μνῆμά ἐστι λευκοῦ λίθου, θέας καὶ ἐς τὰ ἄλλα ἄξιον καὶ οὐχ ἥκιστα ἐπὶ ταῖς γραφαῖς, αἵ εἰσιν ἐπὶ τοῦ τάφου, τέχνη Νικίου, θρόνοστε ἐλέφαντος καὶ γυνὴ νέα καὶ εἴδους εὖ ἔχουσα ἐπὶ τῷ θρόνῳ, θεράπαινα δὲ αὐτῇ παρέστηκε σκιάδειον φέρουσα· καὶ νεανίσκος ὀρθὸς οὐκ ἔχων πω γένειά ἐστι χιτῶνα ἐνδεδυκὼς καὶ χλαμύδα ἐπὶ τῷ χιτῶνι φοινικῆν, παρὰ δὲ αὐτὸν οἰκέτης ἀκόντια ἔχων ἐστὶ καὶ ἄγει κύνας ἐπιτηδείας θηρεύουσιν ἀνθρώποις. πυθέσθαι μὲν ἤδη τὰ ὀνόματα αὐτῶν οὐκ εἴχομεν· ταφῆναι δὲ ἄνδρα καὶ γυναῖκα ἐν κοινῷ παρίστατο πᾶσιν εἰκάζειν.* Porro si in manibus mortuorum aves cernimus, non cum Stackelbergio (Gräber der Hellenen p. 17.) aliisque Manium has esse imagines putandum est; sed avium quae mortuis in deliciis fuerant. Mitto tot similium monumentorum quae id probant consensum; non quaero num usquam animae humanae avium specie a Graecis effictae sint (nam id ex eo minime sequitur, quod hac forma poetae nonnunquam usi inveniantur): ex ipsorum monumentorum ratione apparet, hanc conjecturam esse rejiciendam. In marmore Attico (C. I. 1016.) ***juvenis nudus est cani assilienti aves porrigens, laeva manu instrumentum tenet aucupio ut videtur inserviens.*** Ubi nemo sane Manes quaeret; neque opinor in pila a Gerhardo ita descripta: (Ann. d. Inst. 9, 121.) ***Une femme assise qui reçoit une cassette des mains d'une autre femme qui est débout devant elle. Un gar-***

[21]) Quae fingendi ratio cum multis aliis ex Graecis monumentis in Romana transiit. Petronii Trimalchio (Satyricon ed. Burmann Cap. 71.) describens quale monumentum sibi poni velit: ***Valde te rogo***, inquit, ***ut secundum pedes statuae meae catellam pingas.***

çon nu, dont la partie inférieure est couverte par la femme assise qui est à côté d'elle; il tient un oiseau. Nihil manifestius est quam vitae domesticae imaginem ibi cerni, nihil magis alienum quam Manes ibi effictos putare. Quibus adde aliam pilam Atticam a Rossio descriptam (Demen von Attica 136.) Grabstele im Museum: ein Knabe als Heros, in überirdischer Grösse, ganz nackt, einen Vogel in der linken Hand, sein Mantel hängt ihm zusammengefaltet über den linken Arm, neben ihm ein Hund. Die Rechte legt er einem Knaben auf das Haupt, der in der linken Hand verschiedenes palästrisches Geräthe zu halten scheint. At cur de heroe cogitetur, equidem nullam causam video. Nudum corpus optime convenit pueris palaestrae operam dantibus; magnitudo autem figurae exsculpendae pendebat ex arbitrio divitiisque eorum, qui monumentum ponendum curarent. Quantopere avium studio delectata sit Graeca juventus, non est quod moneam [22].

Juvenis in monumento Attico (Stackelb., Gräber der Hellenen Taf. 2.) columbam tenet, ac simile monumentum describit Gerhard (Ann. d. Inst. 9, 125.). Puella columbam tenens C. I. 2421. Recordari debemus περιστερὰς Σικελικὰς (Theophr. Char. 21.) Coturnices gallosve in adolescentium manibus inventum iri exspectes; sed monumenta in quibus hac aves cernantur mihi non nota sunt. Ceterum id pro certo affirmari potest, his avibus nihil commune esse cum cultu Ἀφροδίτης Φερσεφάττης, quae dea recentioribus notior est quam veteribus. Quid quod Stackelbergius ab ejus nomine Romanorum columbaria deduci posse putavit! (Gräber der Hellenen p. 20.). Etiam gallinas in his monumentis invenerunt, quod num recte fiat, dijudicare non possum, cum horum ne simulacra quidem inspicere licuerit. B. C. I. 2322 b⁹⁴). *Femina sedens quae uvam assidenti infanti porrigit eique gallinam tenenti.* 3300. *Vir sinistra tenet vasculum, dextra uvam ut videtur, quam rostro petit gallina* [23]. Non horum tantum sed aliorum quoque juventutis studiorum memoriam una cum adolescentium imaginibus serva-

[22]) v. Bekk. Charicl. I, p. 383.

[23]) Gallinam in Romani auguris monumento ad auspicia ex tripudiis capienda referendam esse, adnotavit Winckelmann (Vers. einer Allegorie 88.) cf. Zoëga. Bass. ant. I. Tav. XVI. — Qua de re in his monumentis non esse cogitandum, per se patet.

tam invenimus. Gerhard (Ann. d. Inst. 9, 120.) *On y trouve* (sur les stèles et sur les vases sculptés) *l'image de jeunes gens palaestrites, indiqués comme tels par le strigile et d'autres attributs athletiques, ainsi que par un garçon, qui les suit avec le flacon d'huile.* Imago adolescentis cum instrumentis palaestricis, sed sine pedissequo est apud Clarac. (pl. 198, 278.) Huc etiam opus anaglyphum in villa Albanorum pertinere puto, ubi est juvenis pallio involutus qui strigilem ampullamque manu tenet (Zoëga Bassir. di Roma 1. Tav. 29.). Eum non esse philosophum Cynicum vidit Zoëga; est potius juvenis vitae communis habitu ac vestitu effictus; et quid sibi voluerit ejusmodi species nisi ad sepulcrum ornandum destinata fuerit, non facile dixeris. Palma in manu juvenis (B. C. I. 976.) victoriam in ludis partam significare videtur [24]). Eadem res in monumento Cicyzeno aliter expressa est. C. I. 3685. *Vir imberbis sinistra innixus metae qualis solebat in hippodromis esse.* In titulo de se ipsa hoc praedicat: *ἕκτον νεικήσας ὧδ' ἔλιπον τὸ φάος.*

Argumentum lapidis sepulcralis in vicinia Olbiae reperti (C. I. 2095) ad ludos pueriles potius quam ad ludos publicos videtur spectare. *Sunt ibi quatuor pueri, duo sedentes ut judices, tertius quarto palmam porrigens. Juvenis doryphori* imago (C. I. 953.) significare potest, hunc mortuum esse, simulatque inter ephebos receptus sit. De titulo haec servata sunt . . . *θεκος Ἀλεξάνδρου προμοίρως βιώσας.* In pulcherrimo monumento Delphico (Stackelberg Gräb. d. Hell. Taf. II.) et musicorum et gymnasticorum studiorum inest significatio. Sedet ibi juvenis in sella librum evolvens; in pariete suspensa est corona cum instrumentis gymnasticis; ante sellam sedentis stat lyra [25]). Non adolescentes modo sed etiam viros aetate provectiores saepius videmus legentes vel certe libros tenentes; jacentes (C. I. 3383) sedentes (C. I. Add. 2322. b[77]. 2414, e.), stantes (839, 984. Add. 2113. c.) In aliis capsa li-

[24]) Pausan. 8, 48, 2. *οἱ δὲ ἀγῶνες φοίνικος ἔχουσιν οἱ πολλοὶ στέφανον· εἰς δὲ τὴν δεξιάν ἐστι καὶ πανταχοῦ τῷ νικῶντι ἐστιθέμενος φοῖνιξ.* — Hoc modo enim palmam in Graecis monumentis raro obviam libentius explicaverim quam ut dicam *vitae fortiter peractae signum* esse, ut volunt vv. dd. Ambrosch. de Char. Etrusco, p. 13.

[25]) Stackelbergii explicationem de industria omitto.

brorum juxta mortuorum imagines efficta est, ut C. I. 3226. 29. In monumento communi duorum conjugum, ubi mulier, ut solent, cistam, vir volumen tenet (Clar. pl. 252, 270). Simile monumentum Smyrnaeum describit Boeckh. C. I. 3217. ***In dextra mulier quae manum jungit viro, qui in sinistra est; mulieri ad dextram adstat puer librum tenens.*** Fuerunt qui et hic de morte et de statu animarum post mortem cogitarent. Rinck (l. l. 44, 1). Ein gutgearbeitetes Grabrelief eines Griechen zeigt den Verstorbenen mit dem Bruchstück einer Rolle, gleichsam seinem Lebenslauf, der ihm nachfolgt. Infelix sane explicatio; sed si felicissima foret, quid obsecro cogit, ut remotiora petamus posthabitis iis, quae in promptu sunt? Idem (ibid. 2) monumentum describit cum titulo ***Μ. Ὀππίῳ Μενάνδρῳ Ὀππία Ἐλπὶς καὶ Μ. Ὄππιος Φαῦστος τῷ πάτρωνι καὶ αὑτοῖς ζῶντες.*** Die drei Personen, deren die Grabschrift gedenkt, sind oberhalb in gutem Styl abgebildet. Menander in sitzender, nachdenkender Stellung und bekleidet; vor ihm steht Elpis gleichfalls bekleidet, und der jugendliche Faustus hat eine Rolle in der Linken, wahrscheinlich die Lobrede auf seinen Herrn. Ne tum quidem, si sumere liceret morem Romanorum, ut hominibus privatis honor laudationis funebris concederetur, cum imperio Romano in Graeciam esse translatum, ne tum quidem ab hac consuetudine haec species videretur repetenda esse. Certe ex Solonis legibus ***nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis, nec ab alio nisi si qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat.*** (Cic. de legg. 2, 26.) Veri simile autem est, libertum, qui coram domino dum viveret saepissime legisset, etiam in monumento a se erecto hujus rei memoriam servari voluisse. Nec meliore jure eandem explicationem protulit Rinckius in monumento ibid. (42, 8) descripto. Quod in monumentis sepulcralibus etiam feminae appareant volumina tenentes, minime mirum est; feminas autem rarius hac ratione esse effictas per se patet [26]). Quod igitur Gerhardus dicit (Ann. d. I. 9, 125): ***Plus souvent il y a des attributs qui se rapportent à la symbolique funèbre des anciens; c'est bien le cas, quand on***

[26]) Ceterum non omnia volumina sunt quae pro iis veneunt. In monumento praeclaro ***Φρασικλείας*** (Stackelb. Gräb. d. Hell. Taf. I.) scipionem potius videtur tenere femina sedens quam volumen. (Stackelb. si audias p. 36 hoc est: Der Ehevertrag oder ***die Empfehlung an die unterirdischen Götter!***

voit le volume du sort dans les mains d'une femme assise; viro doctissimo assentiri non possum.

Artis quas aliquis in vita exercuerat, opificia unde victum quaesierat, studia denique quibus operam suam impenderat, haec omnia in monumentis repraesentata aut certe indicata sunt; sive id fiebat instrumentis solis artis alicujus effictis in monumento, sive ibi cernebatur ipse mortuus artem suam exercens. In monumento Jasonis medici Attici (C. I. 606) effictus est *vir barbatus medicam ferens opem adolescenti cujus venter inflatus, extremi artus valde macri sunt: huic alteri figurae appositum vas, quod clypeum s. clibanum vocant, quo in balneis Laconicis utuntur.* Talis imitatio ad rei expressae similitudinem proxime accedens, artis florentis aetate tantum abest ut reperiatur, ut tum ne lineamenta quidem faciei ex animali exemplo in simulacrum transferre liceret, sed formae humanae decor adderetur supra verum. Auctor Vitt. X. oratt. (p. 364) de sepulcro Isocratis: *ἦν δὲ καὶ αὐτοῦ τράπεζα πλησίον ἔχουσα ποιητάς τε καὶ τοὺς διδασκάλους αὐτοῦ, ἐν οἷς καὶ Γοργίαν εἰς σφαῖραν ἀστρολογικὴν βλέποντα, αὐτόν τε τὸν Ἰσοκράτην παρεστῶτα.* Monumentum Sosini Gortynii cujusdam, (v. Clar. 198, 297. C. I. 837) qui *χαλκόπτης* fuit [27]), virum sedentem ostendit et sinistra manu scutis vel discis juxta sellam positis innixum, dextra scipionem tenentem. Marmor quod in Mus. Brittanico extat (v. C. I. 980), in quo titulus *Ξάνθιππος super anaglypho egregii stili Attici virum exhibente qui calceum tenet,* sutoris sepulcro impositum fuisse potest. Maffeius (Mus. Veron. Tab. 47, 5) aeri incisum dedit Smyrnaeum anaglyphum *cippi referens formam fastigiati; in zophoro inter duas rosas est corona; sub hoc mulier large vestita; juxta adstant puellae binae; harum ea, quae adspectanti ad dextram est, sustinet arulam rotundam, cui insistit Amor, altera tenet flabellum.* In arâ inscriptum est *Ἔρωτι Οὐραν.* ac mortua, cui respublica Smyrnaeorum Magnetumque coronam decreverat, *Οὐλπία Μαρκελλεῖνα Οὐλπίου*

[27]) De hac voce dixit Lobeck. Paralip. I. p. 44.

[28]) Hoc monumentum idem esse videtur atque id quod dedit Stackelb. in libri a me saepius citati fronte cum nonnullis aliis. Ab ipso (p. 32) dicitur das idealisirte Bild eines verstorbenen bärtigen Richters.

θυγάτηρ, fuit *ἀρχιέρεια Ἀφροδίτης Οὐρανίας*. Ex hoc monumento aliud Smyrnaeum explicandum videtur. C. I. 3231. ***Super anaglypho rudis fabricae exhibente duos viros qui manus jungunt, apposita in columna exigua Apollinis Citharoedi statua:*** *ὁ δῆμος* (***in laurea***) *Διονύσιον Διονυσίου τοῦ Μητροδώρου*. Ut illic Amoris Venerisque sacerdotem agnoscere debemus, ita hic Apollinis Citharoedi sacerdotem cerni, conjicere saltem licebit. Ad munus sacerdotale etiam magnam facem retulerim, quam mulier manibus tenet in monumento Smyrnaeo [29]). Militis monumentum Thyreaticum describitur a Gerhardo (Ann. d. Inst. 1, 139): ***ciò è d'un guerriero con un garzoncello che gli armi gli presenta*** [30]). Militem armatum vide apud Stackelb. Gräb. d. Hell. Taf. 3. cf. C. I. 3758 [31]). In Claracii tabulis (pl. 150, 266) viro lorica induto, qui galeam clypeumque deposuit, mulier guttum porrigit (potius ad manus lavandas quam ad bibendum ut videtur); in parte laeva conspicitur viri barbati figura stans. Miles esse videtur ex militia domum redux, ut conjecit Claracius. Ross. (Demen v. Attika 137). Massive Grabvase im Museum, rechts eine sitzende Frau, vor ihr ein Mann im Harnisch, der ihr die Hand reicht, hinter ihr ein Knabe mit seinem Helm und Schilde. Crispinus quidam Romanus, qui Cyzici obiit et fuit *στολάρχης ποντίων βελῶν*, hoc monumentum habet: ***navis cum viro stante qui dextra clavam*** (fortasse remum) ***tenet et sub sinistra crumenam***. Haec fortasse ad quaesturam referenda est gestam a mortuo, sed ultimis tituli versibus consideratis (C. I. 3694):

[29]) (Mus. Veron. 53, 4. cf. C. I. 3228.) ***Mulier large vestita quae dextra facem tenet solo impositam, adstante utrinque puella quarum altera eandem illam facem inferius tenet, altera urceum sustinet.*** (*ὁ δῆμος Δημοῦν Διονυσίου Εὐξένου δὲ γυναῖκα*). In Atticis monumentis nonnunquam apparent figurae muliebres sistrum situlamque tenentes, quas Isidis sacerdotes esse putat Ross. (Demen v. Attica 46. cf. 94.)

[30]) Hoc idem videtur esse atque id quod aeri incisum est in Exp. Mor. Vol. III. pl. 91. cf. Ann. d. Inst. 1, 134 ubi pro ***una fanciulla*** legendum est ***un fanciullo***.

[31]) Paus. 7, 2. *ἐπίθημα δὲ τῷ μνήματι (τοῦ Ἀνδρόκλου) ἀνὴρ ὡπλισμένος*.

λοιπὸν φυλάσσου μή τιν' ἐνθήσεις τάφῳ,
δίκην θ' ὑφέξεις παρανόμως τυμβωρυχῶν,
*φίσκῳ τε δώσεις*β,, καὶ τῇ πόλει*[α,],*

si quis putet hominem inficetum, qui hoc monumentum posuit, mulctam designare voluisse crumena, ego huic sententiae non refragari velim. De cujus imaginis significatu cum satis constet, aliud monumentum ex ejus similitudine explicari potest, in quo navis sculpta est cum milite pugnantis habitu (Exped. Mor. III. Tab. 14, 4.). Est enim sine dubio militis classiarii monumentum. Simile Rheneae effossum est quod duos milites in nave ostendit, v. apud Boeckhium (C. I. 2322 b [67]). Gladiatorum armatorum imagines ibid. (3275. 3368. 3374. 3291. 3764. (ubi est retiarius) v. etiam Clarac. pl. 222, 324.).

Naufragorum monumenta navium rostris insigniebantur: (Anthol. Gr. ed. Jacobs T. I. sect. VII. Sepulcral. 279.)

παῦσαι νηὸς ἐρετμὰ καὶ ἔμβολα τῶδ' ἐπὶ τύμβῳ
αἰεὶ ἐπὶ ψυχρῇ ζωγραφέων σποδιῇ.
ναυηγοῦ τὸ μνῆμα. τί τῆς ἐνὶ κύμασι λώβης
αὖτις ἀναμνῆσαι τὸν κατὰ γῆς ἐθέλεις;

Eodem pertinet sine dubio hoc alterum carmen (ibid. 400);

τοῦτ' ὀστεῦν φωτὸς πολυέργεος. ἦ ῥά τις ἦσθα
ἔμπορος ἢ τυφλοῦ κύματος ἰχθυβόλος.
ἄγγειλον θνητοῖσιν ὅτι σπεύδοντες ἐπ' ἄλλας
ἐλπίδας εἰς τοίην ἐλπίδα λυόμεθα.

Monumentum enim quod ita comparatum est, ut utrum mercatori an piscatori impositum sit dubites, alterutrum autem sub eo conditum esse, recte colligas, navem vel navis partem ostendisse necesse est. De naufrago sine dubio etiam hic sermo est.

Inter monumenta servata complura sunt, quae huc referenda esse puto; horum nonnulla descripsit Gerhardus (Ann. d. Inst. I. 146). Ostendunt ea omnia viros sedentes vel in ipso solo vel in saxis coacervatis, nudos plerosque nisosque in cubitum, quo manifesto animus lugens significatur. Juxta has figuras sedentes prora navis conspicitur, quae ex aequore eminere videtur. V. Paciaudi Monum.

Pelop. 2, 237 [32]). Exped. Moreot. III, pl. 14, 3. (C. I. 2322 b [18]). Etiam id quod a Gerhardo descriptum est loco laudato cum inscriptione *Ζήνων Ἀρτεμιδώρου Σιδώνιος χρηστὲ χαῖρε* inter haec referendum est; nam etsi proram ibi conspici neque Gerhardus disertis verbis dicit (l. l.) neque Boeckhius (C. I. 2373.) tamen id ex eo patet, quod cum ceteris hujus generis monumentis una protulit Gerhardus et ex his ejus verbis: ***Il medesimo soggetto che in altri monumenti da noi si riferirebbe o alla barca di Caronte o più alla navigazione delle anime beate, in questa classe di semplicissime rappresentanze ci pare assolutamente riferibile al sepolcro d'un marinajo.*** Sed licet ex ratione victus quaerendi nudus cur mortuus fictus sit, explicari posse concedam: at lugentem eum itemque omnes eodem modo effictos apparere, explicatione indiget. Quod autem in Museo Veronensi exstat mon. (Tab. 51, 12.), id non recte descripsisse videtur Gerhardus; nam ibi praeter juvenem, tunica indutum, in saxis coacervatis sedentem habitu lugentis proramque prospicientem, duo capita cernuntur quae supra solum quasi ex aequore emergunt. Haec non liberorum, ut Gerhardus vult, capita sunt, sed sunt natantium vel undis pereuntium; est haec denique manifesta naufragii repraesentatio in naufragi monumento [33]). Sin autem haec naufragorum esse monumenta recte diximus, propter nomina adscripta non possunt non Cenotaphia esse. Cum hac re conferendum id quo Marcellinus eos uti dicit argumento, qui Thucydidem non in Attica mortuum esse perhibeant (vita Thucyd. 31.): *ἴκριον γὰρ ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι, τοῦ κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμον Ἀττικὸν τῶν ἐν τοιαύτῃ δυστυχίᾳ τετελευτηκότων καὶ μὴ ἐν Ἀθήναις ταφέντων.* Nam non *ἴκριον* revera sepulcro impositum fuisse potest, sed

[32]) Paciaud., ut plus semel in his rebus, verum vidit; hic quidem Passerium secutus (p. 254): ***Sed ideone nudus fessus tristisque effictus atque in ora maritima positus, quod naufragio perierit! Videtur de adverso infelicique suo casu conqueri, ut ille Bithynius adolescens fracta nave submersus:***

κεῖμαι δ' ἐν Σχερίῃ παρὰ θεῖν' ἁλὸς ἀνεμόεσσαν
ὕστατα λυγρὸν ἐμοὶ δερκόμενος πέλαγος.

[33]) Similem naufragii repraesentationem in tabula votiva Argenidae cujusdam, v. ibid. 47, 7.

ἰκρίου imago. Quae tamen cur cuique cenotaphio imposita fuerit, nulla causa videtur esse; fortasse Marcellinus, vel is quem exscripsit a cenotaphiis eorum, qui naufragio perierunt, ad omnia cenotaphia hoc transtulit.

Apud omnes populos vetustissima fuit consuetudo, ut mortuorum in tumulis defigerentur instrumenta artis ejus cui vivi operam dedissent; progredientibus deinde artibus fingendi, instrumentorum simulacris in lapide caelatis aeternam servare maluerunt memoriam. Pueris decantati sunt hi versus Homerici:

ταῦτά τέ μοι τελέσαι πῆξαί τ' ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμὸν
τῷ καὶ ζωὸς ἔρεσσον ἐὼν μετ' ἐμοῖς ἑτάροισιν

Ubi v. Annott. Nitzschii, qui hoc Sapphus carmen affert. (Anth. Gr. T. I. Sect. VII. n. 505):

τῷ γριπεῖ Πελάγωνι πατὴρ ἀνέθηκε Μένισκος
κύρτον καὶ κώπαν μνᾶμα κακοζοΐας.

Cf. ibid. n. 445.

Μαντιάδας, ὦ ξεῖνε, καὶ Εὔστρατος υἷες Ἐχέϊλου
Δυμαῖοι, κραναῇ κείμεθ' ἐνὶ ξυλόχῳ,
ἀγραῦλοι γενεῆθεν ὀρείτυποι. οἱ δ' ἐπὶ τύμβῳ
μαννταὶ τέχνας, δουροτόμοι πελέκεις.

Per jocum autem factum est hoc (394):

Μυλεργάτας ἀνήρ με κὴν ζωᾶς χρόνοις
βαρυβρομήταν ἔσχε δινητὸν πέτρον,
πυρηφάτου Δάματρος εὐκάρπου χάριν,
καὶ κατθανὼν στάλωσε τῷδ' ἐπ' ἠρίῳ,
σύνθημα τέχνης. ὥς ἔχει μ' ἀεὶ βαρὺν
καὶ ζῶν ἐν ἔργοις καὶ θανὼν ἐπ' ὀστέοις.

Puerum sive puellam *λουτροφόρον* vel hydriam tumulis eorum fuisse impositam, qui ante matrimonium obierint, notissimum est [34]). Qui sepulcri ornandi modus a ceteris monumentis eo diversus est, quod illa vitae peractae praebent imagines, *λουτροφόρῳ* autem de-

[34]) De hac re dixit Bekk. in Charicl. II., 400 seq.

signatur id quod dii mortuum videre non siverant: attamen vidisset, si ex naturae ordine aetas defluxisset. Exstat venatoris monumentum, ubi cervus effictus est frugibus tranquille vescens [35]; quod etsi id repraesentat, quod post illius mortem factum est, tamen artem designat, cui vivus operam dederat.

Postremo nonnullarum rationum mentionem faciam, quibus feminae effingantur in his monm. Virgo Maeonia impubes mortua *dextra florum fasciculum tenet.* (C. J. 3448.). Matres effictas cum liberis jam memoravi. Nil autem frequentius est, quam ut mulieribus adjungantur una vel plures ancillae, quae herae aliquod porrigere solent aut opificii muliebris aut ornatus instrumentum. Heras plerumque sedentes effictas esse, ancillas semper stantes, jam dictum est. Idem in plerisque monumentis servatus habitus honestus ac tranquillus harum sedentium, quae pedes scabello solent innixos habere; qua re non dignitatem illarum indicatam esse putandum est, ut nonnulli sibi persuaserunt, sed consuetudinem vitae communis relatam. Quin etiam certi corporis motus plerisque omnibus communes sunt, maxime ut altera manu velum de facie sublevent [36]; nam velum nunquam non gestant in his monumentis matronae. Fallitur igitur Zoëga, qui in describendo monumento sepulcrali (Bass. ant. Tav. II. p. 43.) ***Il veto,*** inquit, ***ch'in capo porta la donna assedente, e ch'ella con un certo vezzo rimuove dal capo, mentre quello giaciuto le stringe il braccio, pare ch'accenni una persona che si trova fuori di casa sua e fa dubitare che amica piuttosto sia che moglie.*** Prorsus eadem ratione in monumento Attico, quod descripsit Rosellini (An. 6. p. 236 seq.) femina sedens cui infantem porrigit femina stans, velum replicat, fallique Rossellinium tot exemplorum consensus docet. Is enim matrem aperire sinum putat ut mammas praebeat infanti. — Ancillae cistam tenere solent aut apertam aut semiapertam, qua quid contineatur fingere licet prout

35) Müller Handbuch der Archäologie **431, 2.** Canis monumentum habes C. J. 3550. ***Sub anaglypho canem venaticum repraesentante*** leguntur haec.

οὔνομα Φιλοκύνηγος ἐμοί· τοῖος γὰρ ὑπάρχων
θηρσὶν ἐπὶ φοβεροῖς κραιπνὸν ἔθηκα πόδα.

Cf. Theophr. Char. **21.** — Ad venatorem rettulerim ***canem et tridentem*** in anaglypho Smyrnaeo (C. J. **3269**). Tridentem puto instrumentum venaticum esse.

36) V. Gerhard in Ann. d. Inst. 9, **122.**

cuique libet, dummodo non dona funebria inesse putes, quod ab universa ratione horum argumentorum prorsus abhorret. De hac re recte statuit Paciaud. (monn. Pelop. 2, 250): *Verum tamen postquam animadverti, ejusmodi capsulas nonnisi in mulierum sepulcris adinveniri; quoniamque credibile minime est, thuris honores illis tantummodo fuisse exhibitos, extemplo planeque intellexi, nihil opportune huic toreumati explicando posse afferri, nisi cum feminarum moribus probe consentiat. Quare in eam adduci opinionem facile passus sum, ut credam, ad κόσμον γυναικεῖον verisimilius posse referri.* Pro acerris quidem in nonnullis monumentis has cistas habendas esse negari non potest, sed nequaquam in omnibus [37]; et exstant vel plurima quae ita comparata sunt, ut de hac re ne cogitari quidem possit. Gerhard (Ann. d. Inst. 1, 145.) anaglyphum describit, quod Venetiis est: *ove una donna che da circolare cassettina raccolti i profumi, gli sparge supra un altare*; ex quo concludit, *che i sagrifizj ai quali quell' arnese allude, sono quelli che dalla persona defunta, ordinariamente rappresentata sulla sua ara sepolcrale, devono offerirsi alle infernali divinità.* Quae sententia mihi quidem non probatur; nam quis unquam talia Graecos finxisse audivit? Fortasse hoc sacerdotis monumentum est, fortasse non; nam mortuos effictos esse sacrificantes vel sacrificantibus assidentes, in monumento Thallusae Chiae vidimus, quae tamen a vivis fiunt sacrificia, non a mortuis [38].

Monumenta mulierum sedentium vel stantium cum ancillis cistas tenentibus v. in C. J. 669. (cf. Rinck Kunstbl. 1828; 42, 6.) 803. (Mus. Veron. 47, 2. In pariete etiam lyra cum plectro, ut videtur

[37]) Ut voluit Gerhard (Ann d. Inst. 1, 144): *Accade frequentemente di trovare su tali monumenti i personaggi defunti in atto di farsi porgere da genti della loro parentela o servitù quegli oggetti che principalmente servivano al loro uso commune, siccome il ventaglio, il fuso e particolarmente la cassettina de' profumi che si usavano nei sagrifizj.*

[38]) Etiam haec fingendi ratio ad Romanos translata est. Q. Lollii Alcamenis monumentum notissimum (Zoega. Bass. di Roma I., Tav XXIII.) mortuum ostendit sacrificium intuentem. cf. ibid. II., 294, n. LXXXII. *Piccolo cinerario con iscrizione, sotto la quale una facciata d'edifizio con porta bivalva spalancata. Nella porta stanno marito e moglie sacrificando ad una piccola ara in forma di candelabro etc.*

efficta est). C. J. 2102. Add. 2322. b [69]). 3253. (Rinck l. e. 41, 5.) 3262. (Marm. Ox. Prid. 9.) 3328. (*Ad sinistram sedentis est mulier gradiens quae fert canistrum; apposita sunt cista spathula* (puto flabellum) *canistrum vel poculum.* C. J. Add. 2322 b[23]) (puer cistam apportans mulieri sedenti.). Cf. Paciaud. Mon. Pelop. II. p. 234 et 37. Marm. Ox. Prid. 68, 77, 91. Varia suppellex, inter quam cista semiaperta, cernitur in zophoro fastigium sustinente monumenti Eucleae cujusdam (Mus. Veron. 49, 1). Flabella efficta sunt v. c. in monumento C. J. Add. 2346. c.; Exped. Mor. Vol. III. Tab. 18, 2; Mus. Veron. 47, 2. Muliebris opificii instrumenta v. C. J. 3219, 3234. Ipsam feminae exornationem in monumento sepulcrali expressam describit Gerhard. (Ann. d. Inst. 9, 122.): *On y voit deux femmes occupées à faire la toilette d'une troisième; celle-ci vêtue du chiton et du peplos qui la voile, a le bras gauche retiré vers soi et le bras droit étendu vers une de ses compagnes qui lui arrange la chaussure. Cette dernière qui se trouve presque a genoux, devant celle qui est assise, est couverte par un bonnet, l'autre se distingue par une cassette qu'elle tient dans ses mains.* Quam imaginem, ut omnes sepulcrales, non ad singulare eventum spectare putandum est: (ad nuptias enim hanc ornari vult Gerhard.) sed ad actionem saepius repetitam, ad vitae denique consuetudinem.

Non possum non his apponere, quae praeclare dixit de monumentis sepulcralibus Graecis Goethius, *tenuem Grajae spiritum Camoenae Germanis monstrator.* Qui vir ut ingenii prope divini acumine plus semel rectius quid alicujus rei esset perspexit, quam ii ipsi qui in uno certoque argumento versabantur, ita et hic paucis omnia exhausisse videtur, quae in universum de horum operum ratione dici possunt. Leguntur illa in Itinerario Ital. (Werke, Ausgabe von Cotta 1829. Bd. 27. p. 63.) ubi de museo Veronensi sermo est: Der Wind, der von den Gräbern der Alten herweht, kommt mit Wohlgerüchen über einen Rosenhügel. Die Grabmäler sind herzlich und rührend, und stellen immer das Leben her. Da stehen Vater und Mutter, der Sohn in der Mitte, einander mit unaussprechlicher Natürlichkeit anblickend. Hier reicht sich ein Paar die Hände. Hier scheint ein Vater auf seinem Sopha ruhend von seiner Familie unterhalten zu werden. Mir war die unmittelbare Gegenwart dieser

Scenen höchst rührend. Von späterer Kunst sind sie, aber einfach, natürlich und allgemein ansprechend. Hier ist kein geharnischter Mann auf den Knieen, der eine fröhliche Auferstehung erwartet. Der Künstler hat mit mehr oder weniger Geschick nur die einfache Gegenwart der Menschen hingestellt, ihre Existenz dadurch fortgesetzt und bleibend gemacht. Sie falten nicht die Hände, schauen nicht in den Himmel, sondern sie sind hienieden, was sie waren und was sie sind. Sie stehen beisammen, nehmen Antheil aneinander, lieben sich und das ist in den Steinen, sogar mit einer gewissen Handwerksunfähigkeit, allerliebst ausgedrückt.

Ex iis quae adhuc attuli exemplis id apparuisse puto, in monumentis sepulcralibus neque mortem neque vitam post mortem expressam esse sed ipsam vitam humanam repraesentatam. Nunc de iis dicam, in quibus nonnulla sunt ad mortem necessario referenda; qualia tamen indicata magis quam expressa esse apparebit, et ita quidem indicata, ut vitae imaginem quominus agnoscamus, non impediant.

Quantopere studuerint Graeci mortis notionem quasi obtegere repraesentata actione quadam vitae consuetudinem referente, primum id docet, quod vale dicentes effingi solebant mortui. Qua in re tamen multi vv. dd. modum transgressi sunt, qui ubicunque in monumentis sepulcralibus duos manus jungentes conspexerant, eos dicerent valedicentes esse. Hac specie quid significetur nimirum certari semper poterit; et quem hic abeuntem ille advenientem esse putabit, neque quis facile rem ita explicabit, ut omnibus sententiam probet. At si in monumento quod aeri incisum est in Exped. Moreot. III. pl. 14, 6. (cf. C. J. Add. 2322 b[38]) duos viros videmus manibus junctis; ibi quidem inscriptio (*Βαρναναῖε καὶ Τιμοκράτη χρηστοὶ χαίρετε*) vetat nos cogitare de mortuo cui valedicat superstes; cum potius designetur amicitia, qua hi viri in vita conjuncti fuerunt, quos unum recepit sepulcrum.

τοῦτοδ' ἐπ' ἀμφοτέροισι πολύκλαυτον φιλότητος
ἕστηκεν λείῃ μνᾶμα παρὰ τριόδῳ [39]).

Eadem ratione judicari necesse est de simili monumento (C. J. II. Add. 2322. b[2]) *in quo senex repraesentatus sedens manum*

[39]) Anth. Gr. T. I. Sect. VII. n. 475.

jungens s. mulieri aetate provectae, s. viro stanti et infans qui sellae adstat. Titulus enim est: *Ζωΐλε Ζωΐλου καὶ Ζωΐλε Ζωΐλου Ἀθηναῖε χρηστοὶ χαίρετε* (cf. etiam Exped. Mor. III. pl. 16, 1. cl. C. I. Add. 2322. b[39]).

Deinde saepius luctum superstitum in monumentis sepulcralibus expressum esse negari non potest; sed vultu habituque expressus est, non motu vel actione, ut in Romanis et Etruscis, ubi planctus et conclamationis reperiuntur imagines [40]). In vase fictili quidem Graecae originis ritus funebres repraesentati sunt; opere anaglypho nunquam ita, ut huic argumento locus primarius sit concessus. Si Paciaudius recte conjecit (Mon. Pelop. 2, 244) duabus illis manibus, quae in nonnullis monumentis cernuntur palmis adversis sursum motae, aut in fastigio aut ab utroque latere imaginis primariae; his igitur lamentationem planctumque significare superstitum; id tamen non impedit, quominus in eodem monumento vitae communis expressa sit imago[41]).

Deinde Sirenes luctui designando inserviunt. Stackelberg (Gräb. d. Hell. p. 10): Als solche (Musen der Klage- oder Sterbegesänge) standen auf dem Scheiterhaufen Hephästions, des Lieblings Alexanders des Grossen, ihre ehernen Statuen mit drinnen verborgenen, Klagelieder vortragenden Sängerinnen [42]), und ebenso stellt das Giebelrelief einer in Athen in einem Privathause eingemauerten Grabstele eine zur Leyer singende Sirene zwischen zwei knieenden und sich die Haare ausraufenden Klageweibern dar. Quae imago quum in fastigio pilae sculpta esse dicatur, argumentum principale in area inferiore

[40]) v. Clarac. pl. 153 54. Cf. Müller Handb. d. Archäol. 174, 2. Quam triste spirent ingenium Etruscorum anaglypha sepulcralia, docet Ambrosch de Charonte Etrusco p. 8. Cf. eundem de natura Italarum gentium praeclare disserentem p. 62.

[41]) Ceteroquin tria illa monumenta (nam plura hujus generis mihi non nota sunt) illo tempore condita sunt, quo Romanis Graecia erat subjecta. 1) Paciaud. Mon. Pelop. 2, 232. 2) Descriptum a Boeckhio C. I. 2042; aeri incisum dedit Rad. Rochett. mon. ined. pl. 47, 2. 3) In primo folio diatribes, qua graeci anaglyphi interpretatio traditur, conscriptae a Paciaudio. Romae 1751.

[42]) Müller, Handb. d. Archaeol. 151, 2.

esse potest [43]). Videtur igitur Sirenis simulacro lamentatio de morte defuncti significata esse; cujus cum vellent memoriam servari superstites neque tamen ornandis monumentis idoneam putarent imaginem ad rei similitudinem proxime accedentem, hoc modo indicarunt magis quam expresserunt [44]).

Cum his conferas Mnasalsae Sicyonii epigramma (Jacobs. Anth. Gr. T. I. Sect. VII., n. 491.), quod tractavit etiam Meineckius (in delectu poetarum Anth. Gr. p. 93).

Αἰαῖ παρθενίας ὀλοόφρονος, ἇς ἄπο φαιδρὰν
ἔκλασας ἁλικίαν, ἱμερόεσσα Κλεοῖ.
κὰδ δέ σ᾽ ἀμυξάμεναι περιδάκρυοι αἵδ᾽ ἐπὶ τύμβῳ
λᾶες Σειρήνων ἕσταμες εἰδάλιμοι [45].)

Nunc videamus, quibus rationibus luctus superstitum in anaglyphis sepulcralibus expressus sit. In Anth. Gr. (Jac. T. I. Sect. VII., n. 730.) monumentum describitur, in quo parentes effieti erant filiam in puerperio mortuam lugentes; quo sepulcro postea et ipsi erant conditi.

Δειλαία Μνάσυλλα, τί τοι καὶ ἐπ᾽ ἠρίῳ οὗτος
μυρομένας κούραν γραπτὸς ἔπεστι τύπος
Νευτίμασθ᾽, ἇς δή ποκ᾽ ἀπὸ ψυχὰν ἐρύσαντο
ὠδῖνες, κεῖται δ᾽ οἷα κατὰ βλεφάρων
ἀχλῦι πλημμύρουσα φίλας ὑπὸ ματρὸς ἀγοστῷ;
αἰαῖ, Ἀριστοτέλης δ᾽ οὐκ ἀπάνευθε πατὴρ
δεξιτερᾷ κεφαλὰν ἐπιμάσσεται· ὢ μέγα δειλοὶ,
οὐδὲ θανόντες ἑῶν ἐξελάθεσθ᾽ ἀχέων.

43) Sunt etiam marmora, quae nil nisi Sirenis contineant imaginem, v. Stakkelb. Gr. d. Hell. Fol. I. Plura contulit Müller Hdb. der Archaeol. 393,4 cf. etiam Gerh. Ann. d. Inst. 9, p. 125. not. 4. et Ross. Demen v. Attica n. 180.

44) Nitzsch Anm. zur Odyss. Th. 3, 370. Zur Andeutung der gleichsam forttönenden Klagen setzte man Seirenenbilder auf Gräber, wie sie auf dem des Sophocles und Isocrates standen, ja schon zu Erinnas Zeiten üblich waren.

45) Ceterum Sirenes etiam eo consilio sepulcris esse impositas, ut earum imaginibus sermonis suavitas designaretur, qua mortuus excelluisset, opinio et veterum et recentiorum fuit plerorumque. V. de ea re Biogr. Soph. Vita Isocrat, (in Vitt. X. oratt. p. 264.) Philostrat. Soph. 1, 17, 1., Iacobs Animadv. ad Anthol. Gr. I., p. 187. et Huschkii Anal. crit. in Anth. Gr. p. 4—18. Sirenum

Mater igitur filiam quasi somniculosam moribundaeque similem (nam non ut mortuam effictam fuisse diserte dicitur) brachio tenebat [46]); pater adstabat manu capiti admota. Ut horum luctus quasi sedatus omnique impetu carens expressus erat, ita etiam in monumentis servatis factum videmus. In lapide Rheneae reperto (C. I. Add. 2322. b 44) *femina sedens est, quae filium intuetur plorantem*, cum hac inscriptione: *Ἀγελαὶς Ἰσιδότου ἄλυπε χρηστὴ χαῖρε.* Ib. b 41) *Vir dimidio fere corpore reclinatus, ad pedes assidet femina plorans.* Titulus est: *Ἑρμία Ἀπολλοδώρου Τίριε χρηστὲ καὶ ἄλυπε χαῖρε.* Simile est monumentum sine titulo, quod aeri incisum exstat in Marm. Ox. (Prid. 76). Smyrnaeos aut in altero angulo (C. I. 3367. 71) aut in utroque (ut 3215. 29) puerorum figuras lugentium habitu exsculpsisse, notum est; quos recte sine dubio familiam lugentem referre dixit Boeckhius (ad C. I. 3371.). Sed in his omnibus mortui non deest imago, qui quasi vivus apparet, ita ut non aegritudinem agnoscere videamur ex alicujus interitu praeterito conceptam, sed quasi ex divinatione interitus futuri [47]).

Omnino si quis mortuus erat, non id egerunt superstites propinqui ut quantopere ejus morte doluissent, exprimerent in monumento, quod ei dicarent; sed quali amicitia cum eo in vita conjuncti fuissent; neque illud agere potuerunt, si quidem saepissime sepulcra non uni destinata erant, sed familiis universis, ita ut qui mor-

imagines in sepulcris positas numquam non luctui designando inserviisse, Nitzschius videtur persuasum habere; fortasse non injuria.

[46]) In mon. sep. Attico (Clarac. 154, 276.) de tribus figuris, quae stantes omnes effictae sunt, duae quasi somno consopitae esse videntur. Ejusd. mon. effigiem dedit Stackelberg in primo folio operis a me saepius citati.

[47]) Ejus fingendi rationis, ut mortuus una cum superstitibus mortem ejus lugentibus exprimeretur, quasi vivus inter vivos, luculentum exemplum exstat apud Pausan. (VII., 26, 3.). *ἐν Αἰγείρᾳ δὲ, ἐν τούτῳ τῷ οἰκήματι, ἀνήρ τε ἤδη γέρων ἴσα καὶ ὀδυρόμενος καὶ γυναῖκες αἱ (?) τρεῖς ἀφαιρούμεναι ψέλιά εἰσι, καὶ ἴσοι νεανίσκοι ταῖς γυναιξὶν, ὁ δὲ ἐνδεδυκὼς θώρακα. εἷς τοῦτόν φασιν, Ἀχαιοῖς γενομένου πολέμου, μαχεσάμενον ἀνδρειότατα Αἰγειρατῶν τελευτῆσαι· καὶ αὐτοῦ τὸν θάνατον οἱ λοιποὶ τῶν ἀδελφῶν οἴκαδε ἀπήγγειλαν καὶ τοῦδε εἵνεκα αἵ τε ἀδελφαὶ διὰ τὸ ἐπ' αὐτῷ πένθος ἀποκοσμοῦνται καὶ τὸν πατέρα ἐπονομάζουσιν οἱ ἐπιχώριοι Συμπαθῆ, ἅ τε ἐλεεινὸν καὶ ἐν τῇ εἰκόνι.*

tuo cognato monumentum ponerent, quod et suis et illius imaginibus ornarent, idem ponerent sibi ipsi. Omnes ibi figuras habitu tranquillo gravique apparere, ex ipsa rei natura patet; ab hoc ad tristitiam via proclivis est. Neque superstites solum lugentes effictos videmus, sed etiam mortuum ipsum, ut in monumento Smyrnaeo supra descripto (C. I. 3333. M. Ox. Pr. 7.), ubi alter filiorum mortuorum, qui matri superstiti adstant, manibus compressis et inter se conjunctis effictus est. Qua ratione luctum esse significatum, notum est (v. R. Rochett. Mon. Ined. p. 318)[48]); atque ex corporis habitu de animi affectibus certior conclusio fieri potest, quam si vultu expressi dicantur; qua in re tabulis pictis nunquam satis certa fides est, nedum descriptionibus. Praeterea eo gestu saepissime aegritudinem expressam esse scimus, ut unum brachium innisum alteri transverso supra pectus posito, suffulciatur mento vel admoveatur capiti; quo modo etiam intelligendum puto illud *δεξιτερᾷ κεφαλὰν ἐπιμάσσεται.* Od. Müllerus (Hdb. d. Arch. 431, 2): Frauen, welche die rechte Hand an das Kinn, die linke an die Brust legen, (wie bei den Römern Gefangene dargestellt werden) scheinen den ewigen Abschied (l'adieu suprème) zu bezeichnen. R. Roch. p. 132. (cf. pl. 46, 3.). Immo hac ratione finguntur moerentes omnes, neque solae matronae valedicentes ultimum vel captivae[49]), eoque habitu cur fingantur mortui eorumque cognati superstites, per se intelligitur. Eo habitu sedentem feminam vide apud Stackelb. (Gr. d. H. Taf. I.) ac protomen mortuae frondibus floribusque circumvolutam ibidem (p. 94.). Aliam speciem praebet marmor sep. musei Berolin. descriptum a Gerhardo (Antike Bildw. 1, 70), in quo femina sedens brachiis ad femora demissis; sed quod dicit Gerh.: eine weibliche Figur, welche — mit abwärts geneigten Armen als verklärte Verstorbene die Todtenspenden ihrer Angehörigen zu erwarten scheint: eine Deutung, welche sich aus zahlreichen attischen Grabreliefs und aus den Tempelansichten Apulischer Grabvasen leicht bekräftigen lässt; in ea re a viro clarissimo non possum non discedere. Nam

[48]) Ambrosch de Charonte Etrusso p. 21. not. 166. *Raoul Rochett.* (*An d. Inst.* 6, 276.) *commode laudat Christodorum apud Brunck. Annal. II.*, 465: *χεῖρας ὁμοπλεκέας κρυφίης κήρυκας ἀνίης.*

[49]) Cf. Müller Hdb. d. Arch. 835, 3.

multum interesse puto ad explicationem, utrum aliquid in vasibus fictilibus pictum sit an in anaglyphis marmoreis caelatum. Et in vasibus quidem inferiae, quae mortuo a propinquis offerebantur, duobus modis expressae sunt. Aut enim haec dona funebria ad sepulcrum apportantur pila columnave insignitum; aut ipse mortuus ea accipit sive stans sive sedens in aedicula (ἡρώῳ), ut deus hominum sacrificia. Sed neque illius generis imagines conspiciuntur in anaglyphis marmoreis (quantum equidem scio): quia ex his colligi debebat, cujusnam ossa sepulcro condita essent, qua in re mortui ipsius, si ullam, desideramus imaginem: neque hujus, nam morem fuisse vidimus, ut in his anaglyphis mortui quasi vivi inter vivos effingerentur, qui in vasibus fictilibus quasi beati vivis oppositi sunt. Unde injuria ad explicandum operis illius anaglyphi significatum vasibus pictis usus esse videtur Gerhardus. Ubi equidem nihil aliud video, nisi imaginem mortuae, quae ut viva quidem efficta est, sed habitu moerentis vel tacite cogitantis.

Nonnunquam in anaglyphis sepulcralibus ipsa monumenta sepulcralia efficta sunt (Gerh. An. d. Inst. 9, 126.), minime tamen reliquae imaginis ratione mutata. Quippe; cum mos tam pervulgatus esset, ut vivi monumenta sibi exstruerent, quidni mortuus ei monumento adstans fictus sit, qui vivus saepe sine dubio ibi commoratus erat? In lapide Smyrnaeo (C. I. 3224) ubi est *imperator dextra tenens coronam lauream capiti impositam*, cum titulo ὁ δῆμος Ἀρχιππον Δίωνος, conspicitur etiam *in columella urna* [50]). Urnam in columna autem significare sepulcrum, scimus ex Pausan. (IX. 30, 3.): *κίων τέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ καὶ ἐπίθημα ἐπὶ τῷ κίονι, ὑδρία λίθου· ἔχει δὲ τὰ ὀστᾶ τοῦ Ὀρφέως ἡ ὑδρία, καθὰ οἱ ἐπιχώριοι λέγουσιν.* Ita in gemmis Patrocli sepulcrum esse significatum docet Winckelmann: (Versuch einer Allegorie, 118.).

[50]) Exstat hic lapis Venetiis in Museo Grimanorum, ad quem puto pertinere hanc Gerhardi descriptionem (Ann. d. Inst. 1, 138). *Nel palazzo Grimani si trova altro cippo in cui è rappresentato un uomo e due picciole figure, tutti e tre in attitudine pensierosa, con accanto una colonna ed il sovrapposto cinerario.* Sin hae duae figurae minores re vera pro geniis habendae sunt (quae opinio est Rinckii Kunstbl. 1828. 41, 4. 5.), monumentum Romanae originis est, nam a Graecis mon. sepp. genii omnino alieni sunt. — Ceterum urna in columella etiam in marmore Thyreatico conspicitur (Exp. Mor.

Huc pertinet etiam monumentum, quod in Museo Aeginetico asservatur, descriptum a Gerhardo (Ann. d. Inst. 9, 126): *On y voit une jeune homme tenant un oiseau. Sa main droite se porte vers une edicule à côté. Plus au devant on remarque une stèle, sur laquelle pose la figure mutilée d'un lion ou d'un sphinx; par dessous on voit un garçon nu et accroupi.* In pila sepulcrali Atheniensi femina efficta est et ipsa pilae sepulcrali innixa (ibid. 121). In monum. Philistae Smyrnaeae (Marm. Ox. Prid. 68), quae cum duabus ancillis et catulo efficta est, a parte laeva ara conspicitur, a dextra cippus. Itaque etiam ubi caeteris figuris monumenti sepulcralis addita est imago, figurarum tamen eadem ratio manet, nam vitae consuetudinem hae quoque referunt non mortuorum statum. Sepulcri autem imagines eo potius consilio his monumentis additas esse putandum est, ut, quam ad rem hi lapides destinati essent, indicarent, quam ut ad ipsum argumentum pertinerent.

Deinde in anaglyphis sep. juxta mortuorum imagines hermae conspiciuntur. Quae res explicatione omnino non indigeret, si vivis tantummodo positi essent; at et a privatis hominibus cognatis mortuis positos esse notum est, et a rebus publicis hunc honorem mortuis quoque decretum, patet ex titulo Smyrnaeo (C. I. 3185), ubi de Athenodoro quodam de republica bene merito dicitur: *Καλῶς ἔχον ἐστὶν τὰς πρεπούσας τιμὰς τῷ μετηλλαχότι ψηφίσασθαι· δεδόχθαι τῷ δήμῳ στεφανῶσαι Ἀθηνόδωρον χρυσῷ στεφανῷ καὶ εἰκόνι χαλκῇ. Εἰκόνα* autem protomam significare in his regionibus, demonstravit Boeckhius (C. I. II. p. 664 ad n. 3068). Sed etiam in his monumentis mortuorum imagines immutatae apparent quasi vivorum, immutataque est ceterarum figurarum ratio, nisi quod luctum exprimunt vultus superstitum. Cum igitur hi hermae pro mortuorum monumentis habendi sint non aliter ac cippi pilaeque, quibus adstantes effictos esse mortuos vidimus; non est quod miremur, si etiam hermis adstantes reperimus mortuos ipsorum speciem referentibus. In Mus. Nanii (Biag. fig. XV.) in monum. sep. puer hermae puerili sui persimili adstat. Subest corona in basi caelata, quae hunc titulum includit: *Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐτίμησε Καλλίμαχον*

Vol. III. pl. 91.) virum armatum ostendente, qui anguem pascit; de quo infra dicendum erit.

Καλλιμάχου. Καλλίμαχε χρηστὲ χαῖρε, Verbum *τιμᾶν* ad positam mortui effigiem referendum est, quam significationem habere solet in his regionibus; unde etiam dicitur *τιμὰν ἀνιστάναι* (cf. C. I. 2786, 3199, 3200 etc.). In Museo Veronensi (tab. 53, 6) vir est cum puero hermae adstans; quae ratio fingendi frequens reperitur. Persimile mon. aeri incisum exstat in Exp. Mor. (Vol. III. tab. 17 fig. 3) cujus tamen inscriptio oblitterata est. Ejusdem generis mon. describit Rinckius (Kunstbl. 1828 n. 44, 4); qui tamen puerum (mortui vel filium vel servulum) pro genio vendit. Cf. C. I. 3340. (***Vir imberbis togatus planipes, hujus ad dextram herma imberbis***): Ibidem (2426) hic titulus legitur: *ὁ δῆμος στεφανοῖ χρυσῷ στεφανῷ Εὔρυθμον Ἐπιτύχεος προμοίρως βιώσαντα. Ἑλικωνιὰς Ἑρμίου.* Is positus est sub anaglypho, quod neque recte descripsit Boeckhius neque recte videtur explicasse. ***Vir palliatus***, inquit, ***corona Hermam cingens adstante muliere. Vir palliatus aut populus ipse aut magistratus est coronans Eurythmi imaginem; mulier adstans est Heliconias uxor opinor Eurythmi.*** At in Claracii tabula (155, 269) (quae praeterea eo a Boeckhii descriptione differt, quod femina ibi sedens efficta et insuper hermae adstans puerulus) non coronat vir hermam, sed manum imponit ejus capiti. Si enim mortuo corona decreta erat, ad eam rem significandam sufficiebat corona in marmore caelata, quae verba *ὁ δῆμος* includeret. Huic igitur simul cum corona aurea imaginem ponendam decretam fuisse, ex monumento apparet, ut in decreto, quod supra citavi, disertis verbis dictum est. Imagines autem in marmore expressae sunt mortui ipsius uxorisque superstitis juxta illius hermam. Ex hoc exemplorum consensu cippi Musei Cattajensis argumentum explicaverim, cujus mentionem fecit Gerhardus (Ann. d. Inst. 1, 137): ***Tra un uomo in piedi ed una donna seduta, un erme giovanile, forse di un Mercurio infernale, a cui vedesi appoggiato un fanciullo.*** At Mercurii inferni hermam in his monumentis cerni, inauditum est, neque ullo exemplo indubitato demonstrari potest; hermam in honorem viri adstantis positum esse putabimus. Difficilior explicatu est lapis Smyrnaeus, quem ita descripsit Reinesius (C. I. 3226): ***Sculpta statua ad dextram; ad sinistram cippus quadratus cui caput senis βαθυπώγωνος impositum subterque adstans puer; ad dextram statuae fasciculus***

voluminum. Titulus est *ὁ δῆμος Ἀσκληπιάδην Ἀπολλωνίου τοῦ Ἀρτεμιδώρου.* Si ex ipsius monumenti conspectu appareat, hermam non esse viri adstantis imaginem (ut videtur ex Reinesii descriptione): conjicere licet, quum hoc eruditi fortasse medici, ut ait Boeckhius, sit monumentum, hermam esse viri qui eodem litterarum genere inclaruisset. Denique herma est in lapide Smyrnaeo, cujus titulum edidit B. C. I. 3297. *In medio recessu stat puer vestitus uvam tenens, ad quem panthera* (puto canis)*: puero in dextram est arbor, in cujus ramis serpens; sub arbore cistae vel saxo insidet puerulus, dextra aliquid quadrati tenens; ad sinistram est vernula succinctus ante basin s. aram, in qua est Hermeracles vel Silvanus. In fastigio medio et ad dextram,* (*ubi arbor*) *duae laureae coronae, sub quibus scripta sunt nomina super capitibus puerorum. Διονύσιος Διοδότου. Ἀπολλώνιος Διοδότου.* Videtur in monumento duorum puerorum dei herma effictus esse, qui iis fortasse in aliqua re adjutorem se praestiterat.

Restat ut de anguibus dicam, quos in his monumentis effictos esse quis est qui nesciat? Eos ex cadaveribus humanis nasci vetus fuit superstitio [51]). Deinde et naturis divinis nonnullis et multis earum, quas inter deos hominesque quasi medias putarent, angues quasi comites attri-

[51]) Plut. Cleom. 39 in f. *οἱ τὸ σῶμα τοῦ Κλεομένους ἀνεσταυρωμένου παραφυλάττοντες εἶδον εὐμεγέθη δράκοντα τῇ κεφαλῇ περιπεπλεγμένον καὶ ὑποκρύπτοντα τὸ πρόσωπον, ὥστε μηδὲν ὄρνεον ἐφίπτασθαι σαρκοφάγον. ἐκ δὲ τούτου δεισιδαιμονία προσέπεσε τῷ βασιλεῖ καὶ φόβος — ὡς ἀνδρὸς ἀνῃρημένου θεοφιλοῦς καὶ κρείττονος τὴν φύσιν. οἱ δὲ Ἀλεξανδρεῖς προσετρέποντο φοιτῶντες ἐπὶ τὸν τόπον ἥρωα τὸν Κλεομένη καὶ θεῶν παῖδα προσαγορεύοντες, ἄχρι οὗ κατέπαυσαν αὐτοὺς οἱ σοφώτεροι διδόντες λόγον, ὡς μελίττας μὲν βόες, σφῆκας δὲ ἵπποι κατασαπέντες ἐξανθοῦσι, κάνθαροι δ' ὄνων τὸ αὐτὸ παθόντων ζωογονοῦνται· τὰ δὲ ἀνθρώπινα σώματα, τῶν περὶ τὸν μυελὸν ἰχώρων συῤῥοήν τινα καὶ σύστασιν ἐν ἑαυτοῖς λαβόντων, ὄφεις ἀναδίδωσι· καὶ τοῦτο κατιδόντες οἱ παλαιοὶ μάλιστα τῶν ζώων τὸν δράκοντα τοῖς ἥρωσι συνῳκείωσαν.* Eandem fabulam prodit Plin. H. N. 10, 66. Aliter Aelian. 1, 51. ubi vide quae annot. Jacobs et cf. ejusd. Animadv. ad Anth. Gr. Vol. II. p. 1, p. 174. In vase fictili (R. Roch. Mon. Ined. pl. XVII.), ubi pictum est Hectoris cadaver ab Achillis curru circa muros Trojanos raptatum, mortuum comitatur anguis ore supra caput ejus porrecto quasi omnia noxia prohibiturus.

buisse veteres notum est [52]). Ad has autem mortui referendi sunt, sive hi inter beatos, quos ἥρωας Graeci vocant, recepti putabantur, sive non. Quin etiam mortuos hujus animalis specie indutos hominibus apparere, creditum est [53]). Vulgaris tamen fuit opinio comites eos esse mortuorum. Virg. Aen. 5, 90, ubi Aeneas, cum serpens inferias patri oblatas consumit, dicitur esse

> Incertus geniumne loci famulumne parentis
> Esse putet.

Cf. Val. Fl. Arg. 3, 450.

> Libavitque dapes: placidi quas protinus angues,
> Umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.

Cum his poetarum locis optime convenit vetus opus anaglyphum, quod ad tabulam sepulcralem ornandam erat destinatum, nomina militum bello occisorum continentem (Brit. M. P. II. pl. XLI. v. R. Roch. M. Ined. p. 288). Tropaeum in medio est circumvolutum serpente, cui pateram offert femina a parte laeva adstans. In parte dextra est miles armatus habitu lugentis. Hoc monumento inferias manibus militum oblatas expressas esse apertum est [54]). Ut autem deos arti medicae praepositos angues sibi sacros ipsi alentes effinguntur, ita etiam mortuos pateram iis ad bibendum ipsos praebentes videmus. In op. Exped. Mor. vol. III. pl. 91 juvenis est sola amictus chlamyde cui puer a dextra galeam apportat, omnibus ceteris armis in solo depositis. Is magnae serpenti cibum porrigit; praeterea

[52]) Schol. Aristoph. Plut. 733. *Κοινῶς μὲν πᾶσι τοῖς ἥρωσι δράκοντες παρετίθεντο· ἐξαιρέτως δὲ τῷ Ἀσκληπιῷ.* Trophonio et Hercynae consecrati erant, (Paus. 9, 39, 2), et ut v. (Paus. 10, 4, 3) etiam Prometheo.

[53]) Diog. Laert. 5, 90. p. 314.

> *ἤθελες ἀνθρώποισι λιπεῖν φάτιν, Ἡρακλείδη,*
> *ὥς ῥα θανὼν ἐγένου ζωὸς ἅπασι δράκων.*
> *ἀλλὰ διεψεύσθης σεσοφισμένε· δὴ γὰρ ὁ μὲν θὴρ*
> *ἦε δράκων, σὺ δὲ θὴρ, οὐ σοφὸς ὤν, ἑάλως.*

[54]) Non recte hoc monumentum interpretatus est Muellerus (Handb. d. Archäol. 96, 18). Ceterum si quis dicat eo confutari id, quod supra dixi, in anaglyphis sep. non esse ritus funebres effictos, ei respondeam, hoc mon. non esse cum ceteris sepulcralibus comparandum; nam in *πολυανδρίῳ* potius id spectandum fuisse, ut honorum una omnibus illis habitorum servaretur memoria, quam singulorum rerumque ab iis gestarum rationem habendam.

in recessu ad sinistram arbor est cum duabus avibus; in sinistra urna columnae imposita, qua de re dixi supra. Eadem res cernitur in coenis, quas funebres dicunt (v. Marm. Oxon. 1, 135; II. 167).

Non aliter fortasse explicanda sunt ea monumenta in quibus conspicitur eques ante aram, pateram tenens, pone aram autem arbori circumvoluta serpens equitem versus porrecto capite, quasi libationem ejus acceptura. Ara honores heroicos designatos esse suspicor, qui mortuo ejusque famulo serpenti habendi essent [55]).

Quamvis igitur ad mortuorum conditionem post mortem angues non posse non referri viderimus, tamen ne in his quidem monumentis figurarum ratio ab ea quae in ceteris obtinet, ullo modo diversa est; habituque et vestitu, universa denique ratione vivorum speciem referunt hae imagines. Deinde quod plurimum valet, etiam superstites una cum mortuis effictos videmus, ita ut ne hic quidem de mortuorum conditione futura sed de vivorum fatis praeteritis cogitandum esse appareat: Arbori circumvoluta serpens est e. g. in monumento supra descripto (Kunstbl. 1828, 44, 2), quod uxor superstes marito duobusque filiis mortuis posuit, juxta figuram superstitis feminae efficta. Est etiam in monumento Oppii Menandri (v. ibid. n. 44, 3), in quo superstites patrono liberti una cum illo comparent, serpens ramis laureis circumvoluta. Anguis igitur simulacrum cum ceterae imaginis ratione aperte pugnat; nam vivos videmus consociatos cum mortuorum comitibus. Quam ad rem explicandam si conjecturam proferre liceat: videri monumenta sepulcralia principio solam vitae humanae speciem retulisse dicam; deinde in consuetudinem venisse, ut, ad mortuos ea pertinere, quadam ratione significaretur. Ad hoc et sepulcrorum imagines, de quibus supra dictum est, et anguium his

[55]) Talia monumenta exstant in Museo Veronensi (tab. 49 f. 8), in Museo Nanii (Biag. tab. XI.). Montf. Ant. expl. T. V., pl. 42. Huc pertinet etiam id quod describit Rinck. (Kunstbl. 1828. N. 62): Kastor zu Pferd, durch einen Hund neben ihm als Pente (?) bezeichnet, befindet sich vor einem brennenden Altar, hinter welchem die heilige Schlange ist. Ejusdem generis imagines affert denique R. Roch. Mon. Ined. p. 96 ex Passerii dissert. de animar. transvectione, cujus libri inspiciendi mihi non fuit facultas. Ceterum titulus ejus toreumatis quod est in Mus. Nan. ap. Biag. ibi sic legitur: *Ἥρως ἐπιφανὴς Σωκράτης*; e quo corrigendum Boeckhii ὁ *Κράτης* (C. I. 3646), de cujus veritate ipse dubitavit.

argumentis insertas esse; quanquam ab earum ratione alienas; sed ita ut ratio effingendi figuras humanas minime ea re mutaretur.

Pleraque monumenta serpentem arbori circumvolutam ostendunt; quod nulla alia de causa factum esse arbitror, nisi quod haec fingendi ratio optime convenit cum hujus animalis natura. Eandem speciem cum in operibus anaglyphis praebeat Hesperidum arbor a Ladone dracone custodita [56]); fuerunt qui sibi persuaderent, inde hanc speciem in monumenta sepulcralia esse translatam, arboremque in beatorum insulis nascentem mortuorum significare beatitudinem, serpentem atrocitatem mortis, quae illam quasi involvat et obnubat. Quibus assensum esse Odofr. Muellerum (Handb. d. Archäol. 431, 2) et R. Rochettum (Mon. Inedd. p. 96, 1) magnopere miror; nam de hac re ne cogitandum quidem esse statim apparebit. Primum enim arbori circumvolutum anguem etiam in iis monumentis videmus, a quibus haec explicandi ratio omnino abhorret; ut in gemma (Montf. ant. expl. T. I. p. II. pl. 190) ubi Hygiea pateram ad bibendum praebet serpenti; deinde in anaglypho educationem Jovis infantis referente; (ibid. T. I. pl. 7) ubi apertum est, non alio consilio effictas esse arbores, quam ut commodius anguium corpora universa cerni possent. Deinde Hesperidum arbores recte dici possunt solae arbores maliferae; at in monumentis sepulcralibus arbores sine fructibus saepius apparent. Sunt etiam monumenta, in quibus serpentes sine ullo adminiculo effictae sint, (v. C. I. 2894 ubi *eques et sub pedibus equi serpens*); et in eo quod descripsit Rinckius (Kunstbl. 1828, 44, 1) scipioni circumvoluta conspicitur serpens, quem scipionem serpenti eadem ratione puto quasi fulcrum additum esse, atque in ceteris arbores. Nonnunquam etiam solae arbores sine serpentibus apparent, quas pro ornamentis additas puto (v. e. g. C. I. 3234). Si denique in monumento sepulcrali duorum adolescentium in *utroque* angulo arborem serpente circumvolutam videmus (Mus. Veron. tab. 47, 3); si in illo Thyreatico, quod supra descripsi (Exped. Mor. vol. III., pl. 91), mortuus ipse cibum praebens serpenti effictus est, quae arborem in recessu stantem tum maxime reliquisse videtur: non uni eidemque notioni exprimendae inservire arborem cum serpente apparet, sed hanc ab illa optime sejungi posse, Neque facile ullam expli-

[56]) V. Zoëga Bassir. di Roma II. Tab. 63, 64. p. 82. not. 114.

candi rationem iuvenias, quae his omnibus monumentis aeque apta sit, nisi dicas quasi comites vel famulos mortuorum cogitatas esse serpentes; eamque causam esse, unde in his monumentis effictae sint. Sed ita ut dixi effictae sunt, ut saepissime cum ceterae imaginis ratione omnino cohaerere non videantur. Cujus rei exempla monumenta sepulcralia cujusque generis praebent. V. praeter ea, quae jam commemoravi Winckelm. mon. ined. tab. 70, Clarac. m. de sculpt. pl. 147. 252. C. I. 3274. 3297. 3326. Add. 2322 b[94]. In coenis, quas funebres dicunt angues effícti sunt: Marm. Ox. I, 135, II, 167. Gerh. Ant. Bildw. n. 49, n. Rinck Kunstbl. 1828, n. 44, 3.

---

§. 3.

Equis in monumentis Graecis non significari migrationem mortuorum in aliam vitam.

In commemorandis monumentis sepulcralibus ea adhuc omisi, in quibus equi effícti sunt. Viscontius (M. PCl. T. V. p. 36), ubi de anaglypho verba facit, quod juvenem armatum exhibet manum porrigentem feminae sedenti, cui adstat armiger equum ducens: hunc juvenem dicit aut bello mortuum esse aut certe operam suam in re militari praestitisse ordinisque equestris fuisse. Contra Rinckius in describendo lapide qui in Museo Grimanorum Venetiis est (Kunstbl. 1828, 42, 8), equo iter ex hac vita in aliam faciendum significari putat: „denn man bildet die Todten männlichen Geschlechts zu Pferde ab, um die Schnelligkeit ihrer Abfahrt anzudeuten.“ (?) Quae explicandi ratio etiam Odofredo Muellero placuit (Handb. d. Archäol. 428, 2: durch ein Fenster sieht man einen Pferdekopf (der Tod als Reise, vergl. R. Roch. p. 96. Ibid. 431, 2). Der ἥρως reitet auch selbst auf einen von der Schlange umwundenen Hesperidenbaum (Symbol einer in Dunkel und Schrecken gehüllten Seligkeit) mit einem Altare zu. De hac re dictum est. R. Rochettus similia dixit Mon. Ined. p. 96. p. 126. p. 153 et p. 289, ubi quodammodo sententiam retractare videtur. Ceterum hanc sententiam improbasse

Letronnium video (Journ. des sav. 1829. sept. p. 536), sed ejus libri inspiciendi facultas mihi non facta est, quae si fuisset, equidem fortasse hac quaestione supersedere potuissem.

Ex iis, quae mihi nota sunt monumentis sepulcralibus *Graecis*, migrationem in eas oras, quas incolunt animae fatis functorum, unum refert, Thracium, ubi defunctum Mercurius manu ducit caduceum gestans pedibus alatus [57]) (Mus. Veron. 51, 1). Titulus est: *Ἀσκληπιάδη Ἀπολλωνίου Ἀμφιπολῖτα χαῖρε.* Quod igitur pars antiquitatis peritorum equos ad migrationem in alteram vitam pertinere putant: haec explicandi ratio monumentorum Graecorum exemplis defendi omnino non potest; in quibus ea res vel nunquam vel si unquam, alio modo efficta est. Sed, quod gravius, hoc modo hanc migrationem sibi finxisse *Graecos* omnino ignoramus; nam qua alia tandem ratione ad inferos transeuntes faciunt mortuos, nisi scapha Charontis Stygiam paludem trajicientes? Rochettus quidem equis vehi ad insulas beatorum heroas, vulgarem fuisse opinionem dicit (M. I. p. 96); at solus locus quem ex Quinto Smyrnaeo ad eam rem probandam affert, nihil probat. Ibi enim nil dicitur nisi Achillis equis immortalibus non licuisse post mortem illius terra excedere; sed destinatum fuisse ut iis Neoptolemus aliquando ad beatorum insulas veheretur [58]), curru igitur eum vectum sibi finxisse poetam, patet. Ac praeterea Q. Smyrnaei auctoritas in hac re nulla est. Ceterum vir cl. hanc explicandi rationem ita probari posse putavit, ut saepissime in monumentis sepulcralibus *Graecis* equos effictos esse demonstret; quod nemo negavit: in *Etruscis* autem mortuos in aliam vitam migrantes saepissime equo vehentes: neque id negare cuiquam in mentem venit. Sed id demonstrandum erat, in monumentis *Graecis* idem equorum imaginibus significari atque in *Etruscis*: quod demonstrari non potest.

Quod autem Rinckius dicit (Heidelb. Jahrb. 1824. p. 810): Das Pferd ist ein Symbol von Reise überhaupt; auf einem Bildwerk,

[57]) In lecythis nonnunquam picti sunt mortui in cymbam Charontis intrantes. v. e. g. Stackelb. Gräb. d. Hell. Taf. XLVII. XLVIII.

[58]) Q. Sm. 3, 759.

τέτρατον αὖτ' ἐπὶ τοῖσι Νεοπτολέμῳ μεγαθύμῳ,
τὸν καὶ ἐς Ἠλύσιον πεδίον μετόπισθεν ἔμελλον
Ζηνὸς ὑπ' ἐννεσίῃσι φέρειν μακάρων ἐπὶ γαῖαν.

das den Philoctet von der Insel Lemnos zur Belagerung von Troja abreisen lässt, steht neben dem Schiffe das Pferd; nicht zum Behufe des Reitens, sondern zur Versinnlichung der Reise. Das sind Behelfe der bildenden Kunst, welche die Sprache durch Bilder ersetzen muss: id omnino falsum est [59]). Sane ad talia confugere coacti fuissent artifices, si ea effingenda sibi proposuissent, quae fingi omnino non debent. Sed, obsecro, nonne imagine navis satis indicatum est iter maritimum? An heroes Trojam oppugnantes equos non habuerunt? [60]) — Quod Rinckius praeterea affert ut sententiam probet: esse in monumentis sepulcralibus etiam infantes singulorum annorum equis vehentes effictos, id quomodo explicandum sit, dixi supra. At, ne multa, in monumentis *Graecis* plerisque non mortuorum fata futura, sed vivorum praeterita repraesentata esse vidimus. Unde si quos vel equis adstantes videmus, vel iis vehentes: eos quasi vivos effictos esse putandum est; omnisque de mortuis equis vehentibus cogitatio abjicienda, cum ne sciamus quidem hanc rem hac ratione unquam sibi finxisse Graecos. In percensendis autem iis monumentis in quibus equi effleti sunt, omnium eorum quae Etruscae originis sunt, nulla ratio habenda est. Etruscis innumeras fabulas fingendique rationes a Graecis inventas notas fuisse, apparet ex eorum monumentis, at sexcentae aliae superstitiones hujus gentis propriae fuere: nunc quo tandem jure ad *harum* normam *Graeca* explicantur opera? Ut unum exemplum e multis proferam; quia Charontem genium funebrem malleum gestantem finxerunt Etrusci, ideone in operibus Graecis figuras malleos gestantes genios funebres esse putabimus? [61]) Et quia Etrusci mortuos in

[59]) Mon. de quo sermo est, aeri incisum dedit R. Roch. Mon. ined. pl. 54. Ibid. (pl. 55) est aliud, quod Philoctetem cum Ulixe et Neoptolemo colloquentem repraesentat; in ejus utroque angulo equi effícti sunt, quod ornamenti causa factum esse puto.

[60]) Nam etsi equis singulis vehentes heroas non facit Homerus; attamen finxerunt artifices v. Paus. 10, 13, 3; 10, 25, 4.

[61]) Satis erit plura de hac re scire cupientem ablegasse ad Ambroschii librum egregium de Charonte Etrusco. Qui quamvis Charontem Etruscum e Charonte scenico Graecorum originem traxisse luculentissime demonstraverit, attamen non rejiciendam ducit sententiam eorum, qui putant *naturam daemonis atque formam qualis tum in pulpitis Graecis erat figurata, tum in operi-*

aliam vitam migrantes equis, curribus, monstris denique vehentes fecerunt: *ideone* ad eandem rem in monumentis Graecis equos pertinere putabimus? Minime. [62]).

In anaglypho illo quod tabulam sepulcralem ornat bello occisorum continentem catalogum (Mus. Brit. P. II. pl. XLI.), sub iis figuris quas supra descripsi, equitis pars anterior caelata est; qua re conditionem equestrem mortuorum significari ipse dixit Rochett. (M. I. p. 289.); locoque quem ex Polluce citavit, hunc significatum equitis simulacro jure tribui monstravit. Poll. 8, 131. *Ἀνθεμίων δὲ ὁ Διφίλου καλλωπίζεται δι᾽ ἐπιγράμματος· ὅτι ἀπὸ τοῦ θητικοῦ τέλους εἰς τὴν ἱππάδα μετέστη καὶ εἰκών ἐστιν ἐν ἀκροπόλει, ἵππος ἀνδρὶ παρεστηκώς καὶ τὸ ἐπίγραμμα·*

Διφίλου Ἀνθεμίων τόνδ᾽ ἵππον θεοῖς ἀνέθηκεν
Θητικοῦ ἀντὶ τέλους ἱππάδ᾽ ἀμειψάμενος.

Ad eandem rem equus in magna parte monumentorum sepulcralium referendus est; nam quid rei naturae accommodatius erat. Quid harum imaginum rationi convenientius, quam ut una cum equite exprimeretur equus quo vivus esset vectus? Inter monumenta a Pausania descripta nonnulla huc faciunt. Paus. 1, 2, 3. *ἔστι δὲ τάφος οὐ πόῤῥω τῶν πυλῶν ἐπίθεμα ἔχων στρατιώτην ἵππῳ παρεστηκότα· ὅντινα μὲν, οὐκ οἶδα, Πραξιτέλης δὲ καὶ τὸν ἵππον καὶ τὸν στρατιώτην ἐποίησεν.* Num hoc modo locutus esset Pausanias, si aliud equo significatum credidisset, quam quod nos statuimus? An vero cogitari potest, si equo artifices Graeci migrationem mortuorum in aliam vitam significare voluissent, id Pausaniam latuisse? Jam videamus reliqua, de quibus refert Pausanias 1, 29, 4. *ἔστι δὲ ἔμπροσθεν τοῦ μνήματος* (Atheniensium eorum qui in Thracia ab Edonis interemti sunt) *στήλη, μαχομένους ἔχουσα*

bus Etruscis comparet, deo daemonive Etruscorum aliquatenus respondisse. (p. 62). Ceterum (p. 61) *Charontis Etrusci figuram in nulla conspicimus pictura sculpturave, quae genuinam artium Graecarum indolem prae se ferat.*

[62]) V. de hac re Ambrosch de Charonte Etrusco p. 9—14; p. 67—72; imprimis annott. 398—400. At in una re mihi non convenit cum viro clarissimo. Nam veteres in universum similitudinem quandam mortis et longi itineris intellexisse consedo; decedentem autem sub imagine equo vehentis adumbrasse (p. 11.) Etruscos tantummodo (ac fortasse Romanos) ajo; Graecos nego.

ἱππεῖς· Μελάνωπός σφισιν ἐστὶ καὶ Μακάρτατος ὀνόματα. οὓς κατέλαβεν ἀποθανεῖν ἐναντία Λακεδαιμονίων καὶ Βοιωτῶν τεταγμένους. Puto in pila pugnam effictam fuisse, cujus primarias figuras duorum equitum imagines fuisse adscriptis nominibus. 7, 25, 7. οὐ πολὺ δὲ ἀπωτέρω Κράθιδος σῆμά τε ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ· καὶ ἄνδρα εὑρήσεις ἐν τῷ μνήματι ἵππῳ παρεστῶτα, ἀμυδρὰν γραφήν. 8, 9. τῷ δὲ στήλῃ τε ἐφέστηκε καὶ ἀνὴρ ἱππεὺς ἐπειργασμένος ἐστὶν ἐν τῇ στήλῃ, Γρύλλος ὁ Ξενοφῶντος. Ut in equitum monumentis equi, sic in Pyrrhi Epirotae etiam elephantes effícti erant. 2, 21, 5. κανθέντος δὲ ἐνταῦθα τοῦ νεκροῦ μνῆμα καὶ τοῦτο ἂν εὕροι τις, ἐν ᾧ τάτε ἄλλα ὅσοις Πύῤῥος ἐχρῆτο ἐς τὰς μάχας καὶ οἱ ἐλέφαντές εἰσιν ἐπειργασμένοι.

Ex epigrammate Pisandri Rhodii (Anth. Gr. Jac. Vol. I. Sect. 171. n. 364.) equum una cum equite in pugna occiso sepultum fuisse apparet:

> Ἀνδρὶ μὲν Ἱππαίμων ὄνομ' ἦν ἵππῳ δὲ Πόδαργος·
> Καὶ κυνὶ Θήραγρος, καὶ θεράποντι Βάβης.
> Θεσσαλὸς, ἐκ Κρήτης, Μάγνης γένος, Αἵμονος υἱὸς,
> ὤλετο δ' ἐν προμάχοις ὀξὺν Ἄρη συνάγων.

V. de hoc epigrammate Jacobs. in Animadv. ad Anth. Gr. T. I, 1. p. 181. et cf. Poll. 5, 46. p. 501. Dio Chrysost. 37. T. II. p. 121. ed Reisk. Ac si quis dicat videri his versibus figuras in monumento effictas describi, ego non contradicam. Certe haec descriptio (si descriptio est) in monumentum prope Olbiam repertum quadrat. C. J. 2094. *Eques dextra hastam protendens, assiliente cane; obvius est puer.* Omnino in Chersoneso Taurica regionibusque adjacentibus multi reperti sunt lapides, qui equites armatos ostendunt, plerumque cum pedissequis. C. J. 2111. b. *Eques qui ad dextrum femur habet mucronem, in dorso arcum et pharetram; pone adstat puer, cujus caput galericulo tectum isque clypeum gestans.* 2115. *Eques a sinistra ad dextram progrediens frena equi cui insidet tenens et in dextro latere magnam pharetram suspensam habens; pone hunc alius eques minoris mensurae; isque in cippo collocatus.* (?) Titulus est: Κονσταντίῳ καὶ Μυρμηκίωνι ἀνέστησε Ζώτιχος. 2127. *In utroque latere eques cum*

puero; lapis fuit versatilis, ut ejus utrumque latus conspici posset. Unum, non duos hoc sepulcro conditos fuisse, docet titulus. 2129. *Eques cum puero ipsi obvio* Add. 2129. b. *Eques lancea armatus.* De monumento Thyreatico, in quo juvenis equo adstans serpenti cibum porrigit depositis armis, (Exp. Mor. Vol. III. pl. 91.) supra dictum est. Virum equo adstantem opere anaglypho effictum v. ibidem (pl. 41. T. 3.)[63]). Monumentum Aegineticum est.

Ut in monumentis adhuc descriptis ad militiam equestrem equi pertinere visi sunt, ita in aliis venatores equis vehentes cernimus. In opere anaglypho (Cl. pl. 147, 252.) duo equites sunt cursu concitato a dextra et a laeva in aprum irruentes, cum cane uterque; aper ex latebris in radicibus quercus positis prorumpit, quae in medio est. Sepulcrale esse docet et quercui circumvoluta serpens et inscriptio: (C. J. 1972.) *Ἑρμῆς Διοσκορίδου καὶ Εὔνοια Εὔνουν καὶ Ἑρμέρωτα τὰ ἑαυτῶν τέκνα μνείας χάριν*[64]). In alio opere (Mus. Veron. 47, 3.) duo adolescentes conspiciuntur equos frenis tenentes, jacula gestantes venatoria, quos Dioscurorum sub imagine repraesentatos dicit Maffeius Boeckhiumque assentientem habet (C. I. 3366). Equidem nihil invenio in ea imagine, quod a specie vitae communis recedat.

Saepissime definiri non posse apparet, utrum ad ordinem equestrem pertineant equi, an in universum ad exercitationem equestrem. Senes cum equis videre non memini; adolescentes ac viros saepissime. C. I. 749. *Eques barbatus. cursu concitato, sequente ministro.* Titulus est:

Πολλὰ μεθ' ἡλικίας ὁμοήλικος ἡδέα παίσας
ἐκ γαίας βλαστὼν γαῖα πάλιν γέγονα.
Εἰμὶ δ' Ἀριστοκλῆς Πειραιεὺς, παῖς δὲ Μένωνος.

[63]) Fortasse idem hoc est ac marmor descriptum ab E. Wolffio (Ann. d. Inst. 1, 135.): *Il primo di questi fu scoperto nell' Isola d'Egina nell' occasione di fabbricarsi un orfanatrofio dal governo greco. Rappresentava questo la figura stante d'un uomo presso un cavallo, mutilato e mancante in diverse parti, ma pregevole per lo stile e la finitezza del lavoro.*

[64]) Venatio repraesentata est etiam in mon. Attico venatoris (Ross. Demen v. Attika n. 63.): Grosse Stele mit Relief, in dem Verschlage vor der Stoa des Hadrian: ein Jüngling im blossen Chiton, einen Eber mit dem Spiesse anfallend

Ibid. 3273. *Adolescens tunica succincta indutus, pallio ex humero dextro suspenso, dextra equum freno retinens, equestris igitur ordinis, ut ait Welckerus.* Potest ita esse, neque tamen debet; nam hic ἄτεκνος ἄωρος mortuus esse dicitur in titulo, non amplius viginti tres annos natus, qua aetate adolescens gaudet equis et aprici gramine campi. Equites in mon. spp. effictos v. in Mus. Veron. 53, 2. (C. I. 572.) Ibid. 49, 3. Cf. C. I. 580. 1781. 2894. 3023. 3593. Operum illorum, in quibus eques ante aram est, pone quam arbori circumvoluta serpens, supra mentionem feci.

Si denique ubi totius familiae coetus conspicitur, ibi etiam equum cernimus, non est quod miremur; qui eodem jure quo canis in his imaginibus locum obtinet. In communi monumento duorum conjugum (C. I. 655.) ad sinistram est femina stans, cui manum jungit vir; pone hunc equus. Titulus est *Πυλυχάρης Φιλωνίδου Κηφισιεύς. Τιμαγόρα Ἡφαιστοδώρου.* Simile argumentum describitur ibidem (800); nomina sunt *Φιλόδημος Σοφίνου Χολλείδης, Λυσιμάχη Τιμογείτονος Φρεαῤῥίου.* Item in vase sepulcrali (807); ubi tamen praeter unum *Δημοστράτη* nomina oblitterata sunt. In alio vase (ibid. 915) *femina sedens manum porrigit viro equum ducenti, sequente alio, pone feminam feminae alius figura fracta.* Ex adscriptis nominibus *Ἀντιφῶν Ἀντίας* apparet duos viros mortuos esse. Cf. denique Add. 2322 b[57]). *Aedicula, in qua vir et femina; infra comparet eques surgens. Ἀφθόνητος Σωτηρίωνος. Σωτηρὶς Φιλουμενῆς.* et 2322 b[87]) *vir stans, ad quem equum ducit servus.*

De monumento quod Winckelmannus primus edidit (Mon. In. 72.) (in quo juvenis armatus est feminae sedenti manum porrigens, sequente armigero equum ducente, ac supra horum figuras caelati sunt gladius et clypeus) recte statuisse vidimus Viscontium (M. PCl. T. V., p. 36). Fortasse non fortuito factum est, quod armiger mucronem inversum gestat, quae nota fuit luctus exprimendi ratio. Cum his conferendum etiam anaglyphum a Zoëga editum, de quo ipsum audias (Bassir. di Roma Tav. II., T. 1, 42.) Nam quamquam id Romanae originis est, tamen fingendi rationem, qua Graecis uti

neben ihm sein Hund; im Hintergrunde Gebirge und Bäume, im Vordergrunde eine Ziegenheerde.

solebant, in eo servatam invenimus. Viro in lecto cubanti, cui assidet femina, ab uno latere servulus adstat, ab altero equus (*Il cavallo favorito del padrone Z.*) Eodem modo explicaverim anaglyphum Romanum in mon. Matth. III., tab. 72. de quo aliter sentit Gerhard (Beschreib. Roms II., 181, n. 154.).

Sin autem monumentum tam angustis circumscriptum erat finibus ut equi integri imaginem non caperet, vel si artifex operae pretium non ducebat, integrum eum caelare; solum caput exprimebatur quasi fenestra quadrangula inclusum atque in coenaculum introspiciens. Cf. Rinck Kunstbl. 1828. 44, 12, 3. Zoega Tab. 36, T. I. 166 [65]). In lecto cubanti viro assidet uxor; ante lectum est mensa cum dapibus, sub qua jacet canis. Quatuor minoris mensurae figuras recte sine dubio ancillas interpretatus est Zoega. Equi caput per fenestram adspicitur, quasi foris stantis; fortasse in cubiculo ei locus non esse videbatur. In fine haec addidit Zoega: *Non so, se forse cotesti cavalli tanto frequenti in monumenti sepolcrali attorno il letto del defunto affinità possano avere con quegli altri, che dal lor padrone guidati con ancor maggiore frequenza incontrare soglionsi negli lapidi degli equiti singolari.* Ex iis, quae antea disseruimus, inter has varias equos fingendi rationes ad significatum nullum esse discrimen sequitur.

§. 4.

De coenis in monumentis sepulcralibus effictis. Eas neque coenas ferales esse neque coenas mortuorum.

De coenis, quibus nihil frequentius in his anaglyphis, in contrarias sententias discessere viri docti. Odofredus Muellerus pro mortuorum coenis eas habendas esse, mortuos autem sub deorum infe-

65) Adde quae citavit Ambrosch de Charonte Etrusco p. 11. not. 93, qui tamen equum fatalem esse dicit. Qua ratione equorum imagines in operibus Ro-

rorum specie effictos esse dicit [66]): alii coenas funebres esse putarunt in honorem mortui a superstitibus institutas. Utrumcunque statueris, neutrum cum ea fingendi ratione congruet, quam in maxima parte horum monumentorum observatam invenimus. Nam vitae humanae imagines cum in plerisque expressas esse viderimus: in coenis altera pars ejus conditionis imaginem quaerunt, qua animae mortuorum utantur in sedibus infernis; altera justorum funebrium post funera elata peractorum. Et quod Muellerus dicit viros in talibus coenis modium nonnunquam capiti impositum habere, unde apparere, Plutonis Proserpinaeque coenam imitari voluisse artificem: ejus rei neque ipse attulit exemplum neque mihi inter tot Graeca monn. coenam exhibentia unum notum est, in quod haec observatio cadat [67]). Quod deinde in nonnullis (ut in eo quod est in Mus. Veron 139, 6) ad lectum coenantium adire dicit precantium agmen, qui suem vel ovem victimam secum ducant: hos non precantes puto sed servos sacrificium apparantes, cum sacrificio autem coenam conjunctam esse [68]).

manis interpretandas esse, neque audacter affirmare ausim, neque praefracte negare; in Graecis quid significent, non amplius dubium esse videtur.

[66]) Hdb. d Arch. 428. Wie aber die einfachen Familienmahle auf Griechischen Leichensteinen deutlich als Mahle der Todten, die dabei selbst als Unterweltsgottheiten erscheinen, gefasst werden: so sollen auch jene Festgelage auf den Aschenkisten und Vasen Itatiens wohl zum grössten Theile das seelige Loos der Gestorbenen ausdrücken etc. — Anm. 2.: und wenn, wie öfter, der Mann einen Modius auf dem Kopfe hat, so sieht man deutlich, dass das Mahl des Hades und der Persephone nachgebildet wird. Auch nahet öfter ein Zug von Betenden, bisweilen mit einem Opferschweine oder Schafe.

[67]) Zoega Bass. ant. I. p. 73. not. 2. *In tutti questi marmi* (in quibus etiam nostrum est) *non vedo che padroni di statura grande, servi di statura piccola delle volte sino al ridicolo.*

[68]) At refert de talibus Gerhardus. (Beschr. d. Stadt Rom II., 2, 98. Anm.) Auf einer sehr reichhaltigen Reliefplatte derselben Vorstellung im Besitz des Professor Wagner zu Rom, und auf etlichen ähnlichen ist der gelagerte Mann durch einen Modius zum Serapis, oder wenn der Modius in der That auch einem Pluto zukommt, auf so rein griechischen Vorstellungen richtiger zu einem Pluto idealisirt, wie andere Verstorbene zu einem Bacchus, einer Proserpina oder einem Amor. — Dubito an haec Romana sint opera non Graeca, quae Graecanica tamen suo jure appellavit is qui opponit Aegyptiacis. Certe Romanis in more fuisse scimus, ut mortuos in formam deorum effingerent. V. Orelli. C. Inscr.

Deinde hoc monumentum Romanum est, ad quorum normam Graeca explicari non magis possunt, quam ad Etruscorum.

Simplicissima coenae effingendae ratio eademque saepissime repetita ea est, ut viro in lecto cubanti ab altero latere assideat femina, ab altero appositasit mensa cum dapibus; ministrantibus plerumque servis forma minore effictis. Exstant autem monumenta, in quibus figurae primariae prorsus eodem habitu effictae sint, mensa tamen nulla sit; unde de coena cogitari non potest. V. e. g. Exped. Mor. Vol. III. tab. 16, 3. Cf. C. I. Add. 2322 b[35]). *In anaglypho quo repraesentatur vir decumbens et mulier junctis dextris; ad caput prioris adstat infans.* Ἀλέξανδρε Ἑρμίππου Σιδῆτα, χρηστὲ χαῖρε. Ubi nemo sane non inveniet vitae domesticae imaginem familiaritatisque illius, qua conjuncti fuerunt hi conjuges, cujus memoriam aeternam esse voluit uxor superstes. At si in aliis anaglyphis duae figurae primariae qnidem eodem habitu apparent, e mensa autem cum dapibus addita patet coenantes effingere voluisse artificem: hanc mortuorum vel beatorum coenam esse putabimus? Minime.

Deinde in coenis mortuos una cum superstitibus effictos cernimus, ita ut ab illis neque sejuncti sint neque distincti ullo modo. Unde has mortuorum coenas esse non posse apparet; nam quomodo in mortuorum societatem accedere possint superstites? Immo sunt vivorum, in quibus mortui quasi vivi effícti sunt. V. e. g. Clarac. M. d. Sc. pl. 157 n. 291, ubi coena efficta est duorum conjugum, quales descripsi, cum titulo: Ὑπόμνημα Τελεσφόρου, ὃ ἐποίησεν αὐτῷ ἡ γυνὴ Χρήστη μνήμης χάριν (C I. 3383). Eritne qui dubitet, quin haec Chreste se ipsam cum marito mortuo in marmore sculpendos curaverit coenantes, sicut facere soliti erant, dum ille vivebat? Simile est id quod describit Boeckhius (in C. I. 2322 b[76]): ***Vir ad mensam accumbens et illius ad pedes sedens femina, adstante ad alterum latus infante***; quod tamen maritum superstitem uxori mortuae erexisse, testatur inscriptio: Κύδιλλα Μνασικύδου χαῖρε.

Porro si coenantibus ministrantes ancillas servosque cernimus prorsus eodem habitu figuratos, quem in illis monumentis cernere solemus, in quibus vitae domesticae agnovimus imagines, haec

Latt 4456. 57. — De ceteris quae ibidem disserit vir clarissimus, mihi nequaquam cum eo convenire ingenue fateor.

quoque eodem pertinere satis apparet. Ancillae cistam semiapertam manu tenentes sunt in coenarum imaginibus apud Claracium pl. 157. (284, 340) pl. 159. (287, 288). Hae mulierum sellis adstare solent; ab altero latere sunt servi aut habitu tranquillo efficti aut ministrantes. (Ut apud Clarac. pl. 157, 340). Ac si ne canes quidem in his coenis desunt, qui nullo alio consilio additi esse possunt, nisi ut vitae communis imago prorsus ad verum facta appareat, num haerere licet, quid hoc toto genere significetur? V. e. g. Cl. pl. 159, 286. Paciaud. Mon. Pelopp. 1, 110 etc.

Exstant etiam monumenta coenae imagines ostendentia, quae ii ipsi vivi sibi erexerunt qui aliquando sub iis condi voluerunt: hosne vivos putabimus ejus conditionis posuisse imaginem, in qua post mortem se futuros esse animo sibi fingerent? Certe nihil rei naturae accommodatius erat, quam ut vivi in monumentis sepulcralibus etiam a se erectis vita fruentes fingi sese vellent. V. e. gr. coenam ap. Cl. pl. 157, 341 cum hoc titulo: *Α Ὤλιος Ὀκταβιανὸς κατεσκεύασε τὸ μνημεῖον ἑαυτῷ καὶ . . .* Aliud (quod exstat in Thyrw. Archaeol. Brit. III., 230) describit Boeckhius (C. I. 3265): ***Anaglyphum cellam repraesentans inter duas columnas, fastigium triangulare, in quo orbis, sustinentes; intus in lectulo reclinati sunt vir et mulier, assidet alia figura et adstant duo infantes.*** Titulus est: *Ἀλέξανδρος Ἀλεξάνδρου Βειθυνιεὺς καὶ Νικομηδεὺς ζῶν ἑαυτῷ κατεσκεύασα τὸ μνημεῖον καὶ τῇ μητρί μου καὶ τῇ συμβίῳ Φιλίππᾳ Ποντιανοῦ.*

Denique spirant, ut ita dicam, haec opera illam gravitatem (*σεμνότητα*) qua Graeci utebantur in conjugio; adeoque vivam vitae domesticae praebent imaginem, ut haec ipsa eorum ratio ab omnibus aliis explicationibus nos revocet.

Qui in his monumentis coenas funebres expressas esse putarunt, aut de eo epulo cogitarunt, quod cognatis mortui praeberi solebat statim post exequias (*περίδειπνον*); aut de eo, quod a propinquis nonnunquam celebratum est, qui Manes sacris expiarent constitutis diebus [69]).

[69]) Luc. de mercede cond. 28. *ἔοικε γὰρ τότε στήλῃ ἑώλου τινὸς νεκροῦ ἄγοντος (?) ἐναγίσματα. καὶ γὰρ ἐκείνου καταχέοντες μύρον καὶ τὸν στέφανον ἐπιθέντες, αὐτοὶ πίνουσι καὶ εὐωχοῦνται τὰ παρεσκευασμένα.*

At de posteriore cogitare nos vetat, quod hoc cum sacrificio conjunctum epulum prope ipsum mortui monumentum dabatur, unde in medio coenantium monumentum sepulcrale effictum exspectes, quod in omnibus iis vasibus lecythisque quae parentalium ostendunt imagines conspicitur, in his anaglyphis nunquam. Restat igitur ut de coena a parentibus celebrata cogitemus, quam *περίδειπνον* Graeci nuncuparunt. At inter ea argumenta, quae ad Muelleri sententiam refellendam protuli, duo sunt quae ab hac etiam explicatione nos revocant. Primum enim non credibile est, eos qui vivi *sibi* monumenta erigerent caerimonias in iis fingendas curasse, quas in honorem suae mortis observatas fore scirent; deinde in his monumentis superstites a mortuis nullo modo distinctos esse dixi.

Sed ante omnia tituli inscripti hanc interpretandi rationem repudiare cogunt. Nam omnes eos, quorum nomina in monumentis sepulcralibus inscripta sunt nude posita, pro mortuis habendos esse certissimum est, nisi aut ex formula tituli appareat alicujus superstitis nomen inscriptum esse, aut id disertis verbis dictum sit. Inscriptiones autem horum tricliniorum aut omnium coenantium nomina continere solent, aut certe maximae partis. Deinde magna figurarum paucitas in his imaginibus esse solet: at in coena funebri consessum frequentem cognatorum superstitum requirimus [70]). Mihi inter tot lapides Graecos coenas exhibentes non innotuerunt nisi duo, qui majore coenantium frequentia insignes sunt. Alterius effigiem dedit Clarac. pl. I. 155, 290. Viri duo, alter aetate provectior, juvenis alter, in lecto cubant ante mensam: ab utroque latere assident binae feminae velatae praeter faciem. Inscriptione docemur, hoc Antoniae Philumenae esse monumentum. Alterum exstat in Museo Veronensi (Tab. 49, 1). Sub fastigio duabus columnis fulto lectus est, in quo duo viri cubant; ab utroque latere mensae singulae sedent feminae.

Quem ad locum cf. Contempl 22. — Cf. etiam Paus. lib. X, 4, 7. *Ἔστι δὲ τῆς Δαυλίας χώρα καλουμένη Τρωνὶς· ἐνταῦθα ἡρῷον Ἀρχηγέτου πεποίηται. τὸν δὲ ἥρω τοῦτον Ξάνθιππον οὐκ ἀφανῆ τὰ ἐς πόλεμον, οἱ δὲ Φῶκον εἶναι τὸν Ὀρνυτίωνος τοῦ Σισύφου φασίν. ἔχει δ' οὖν ἐπὶ ἡμέρᾳ τε πάσῃ τιμὰς, καὶ ἄγοντες ἱερεῖα οἱ Φωκεῖς, τὸ μὲν αἷμα δι' ὀπῆς ἐσχέουσιν ἐς τὸν τάφον, τὰ δὲ κρέα ταύτῃ σφίσιν ἀναλοῦν καθέστηκεν.*

[70]) Quid quod in nonnullis nisi unius mortui accubantis figura cernitur nulla? V. Mus. Veron. 51, 7. Clar. pl. 160, 337. pl. 250, 572.

Praeterea cernuntur servuli nonnulli minoris mensurae. Nomen inscriptum est: *Εὐκλέα Ἀγάθωνος, γυνὴ δὲ Ἀριστοδήμου.* In his duobus quum dici non possit, ad quas figuras nomina pertineant: possunt quidem hae coenae pro coenis feralibus haberi a parentibus celebratis, sed nequaquam debent. In omnibus aliis autem (quae quidem aut ipse vidi aut quarum descriptionem legi) coenantium vel omnium vet plerorumque nomina adscripta legimus, qui pro mortuis habendi sunt. Quorum statum post mortem cum non esse relatum demonstraverim, vivorum has coenas esse, necessario sequitur. V. e. g. Paciaud. Mon. Pelopp. II. 238. Clarac. Musée de Sculpt. n. 289. 284. 340. 341. 291. 287. 286. 288. 410. A. Cf. C. I. 988. 3389. Mus. Veron. 53, 3. Kunstbl. 1828, 44, 3. In monumento in vicinia Olbiae reperto Stratonis cujusdam, filii Protromachi (C. I. 2094), cujus pars superior equitem armatum cum cane et pedissequo ostendit, *in inferiore anaglypho lecto incumbit vir barbatus (non Protomachus, ut est qui dicat, sed idem ille Strato venator, cui dicatum monumentum) pateram tenens; assidet mulier cum infante, qui lecto aut genu sinistro mulieris impositus; juxta duo pueruli.* — Duo similia anaglypha in sepulcrali lapide habes n. 2114 (Pallas Itin. Russ. merid. T. II. tab. 18, 5. Waxel. Rec. 2. Pall. T. 17 (p. 278). Wax. Rec. n. 10). Ubi et vitae militaris et vitae domesticae imagines exprimere voluisse artifices apertum est.

Quod nonnunquam unam alteramve figuram invenimus coronam tenentem [71]), id nequaquam mirum est; neque quod una alteram coronans conspicitur; nam id in more fuisse Graecis, ut in coenis coronis uterentur, notissimum est. In monumento Numenii cujusdam Athenis reperto (v. Clar. pl. 157, 340. Cf. C. I. 979) vir in lecto cubans coronat mulierem assidentem. Quod Caylus aeri incisum dedit (Réc. d'ant. II. sect. 3. tab. 74), id ita describit Boeckhius (C. I. 3352): *In lectulo recubat vir, quem pone stans coronat alius tunica vel pallio amictus; viro qui in lectulo recumbit, assidet in eodem lectulo mulier veste larga induta, capite praeter faciem velato, quem coronat is qui in lectulo recum-*

[71]) Figurae coronas tenentes sunt in Mus. Veron. tab. 53, 3. et ap. Montf. ant. expl. Vol. II. tab. 53, 17.

bit; sub pedibus mulieris scabellum; ad imum lectum adstat puer habitu vestituque vernili, pone hunc ad sinistram adspectanti mensa arae similis, cujus pes alter capite leonino ornatus est; in mensa duo vasa; ad mensam figura puerilis habitu lugentis et attendentis. — Contra in epulo funebri, si Ciceroni fides (Leg. 2, 25), omnes coenantes coronati fuerunt [72].

In nullo monumentorum genere eadem fingendi ratio constantius servata est, quam in his coenarum simulacris, quae cum mediocri opere soleant elaborata esse: haec, si ulla, in lapicidarum officinis jam praeparata prostitisse putabimus, neque ad eorum qui emerent mandata demum esse confecta. In plerisque enim unus vel plures viri cernuntur in lecto cubantes, ante quos mensa cum dapibus; ab altera vel ab utraque parte feminae assidentes velatae praeter faciem, eaedem omnes habitu honesto figuratae; eaedem in plerisque redeunt ministrorum ancillarumque species; ac saepius sub lecto vel mensa canis cubans conspicitur.

Haec habui quae de hoc argumento dissererem, manca quidem et imperfecta, qualia dare poterat, qui non modo monumentorum invisendorum fere nullam occasionem habuisset, sed interdum etiam inopia librorum premeretur qui simulacra illorum exhibent. Quod nihilominus ad hanc rem aggressus sim, id consilio quo aggressus sim excusatum iri spero. Nam quum nonnulla virorum doctorum de hac re placita stare non posse mihi viderentur, hoc ingenue fatendum duxi; et quantum quidem potui rationibus confirmare sententiam conatus sum. Quodsi his observatiunculis fortasse motus fuerit aliquis doctrina et sagacitate instructior, ut in has res accuratius inquirat, equidem operae pretium fecisse videbor. Scripsi ut discerem, non ut docerem; nam

ἡμεῖς μὲν κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν.

[72]) *Sequebantur epulae, quas inibant propinqui coronati: apud quas de mortui laude quum quid veri erat praedicatum, (nam mentiri nefas habebatur), justa confecta erant.*